



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Libri VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

Quod notans idem Nauar. in seq. num. 37. addit inde con-  
sequens esse quod ex D. Thoma in 4. distict. 45. communiter  
admittitur, non posse Papam prohibere euacuat purgato-  
rium animabus in eo deventis.

197. Quinque est, viliissimum esse persuadere aegrotum mori-  
turo, vt concipiat animum Deo satisfaciendi pro suis peccatis  
in hoc seculo, si vita ei superfit: quoniam in praec. q. 3. ostē-  
sum est tanquam tutius & rationabilius tenendum esse cum  
Caeter. quod indulgentia ei soli proficit, qui tantam peniten-  
tiam quanta sufficit ad delendam poenam que indulgetur  
acceptavit iniunctam a Confessario, vel non iniunctam pro-  
posuit in hac vita facere.

198. Sextam est, quod adhuc habet ibid. Nauar. numero 5. merito  
fieri suffragia pro defunctis postquam vel in articulo mortis  
vel post mortem quaesita fuerit indulgentia plenaria: tum  
quia fieri potest vt viuens non habeat iustum & sufficientem  
propositum satisfaciendi pro tota poena Purgatorij, relaxan-  
da per ipsam indulgentiam: quod propositum praediximus  
secundum probabiliorē sententiam, necessarium esse ad  
acquirendam indulgentiam: tum quia ex dictis in praec. 6. 13.  
sect. 2. plenaria indulgentia non tollit omnem poenam in pur-  
gatorio luendam: imò nec plenior, sed sola plenissima: tum  
quia multorum sententia est quam Nauar. sequitur in praec. no-  
tab. 15. quod indulgentia plenissima non liberet plenissime,  
nisi causa ob quam conceditur sit ad id sufficiens: de qua re  
non potest satis nobis constare. Nec obstat quod sententia  
contraria videatur probabilior: quia cum ipsa altera suam ali-  
quam probabilitatem habeat, expedit facere, qua noceat ne-  
queunt etiam si forte nihil profuerit: tum demum, prout ex Ger-  
briete Nauar. addit, quod talia suffragia fieri possint in gratia  
actionem, sicut & illa que fiunt pro puero recens baptizato  
& mortuo, nihil habente expiandum. Itemque ad gratificandam  
ipsis defunctis qui plurimum gaudent amicis suis tam  
pia opera pro se agentes Deo gratiores fieri, & Deum hono-  
rare, aliasque animas Purgatorij iuuare. Ita que peccus habet  
verè Christianum, non tantum liberet suis vita functis ac-  
quiret indulgentiam per quam celerius ab horrendis Purga-  
torij poenis liberentur: sed etiam suffragia praestabit quibus  
etsi forte non indigeant, per ea tamen accrescat illis gaudij  
quoddam accidentale, eo nomine, quod causa ipsorum: & ani-  
mae aliorum defunctorum iuuentur, & diuina maiestas hono-  
retur; taliaque praestantes reddantur Deo suo gratiores:  
quem illi à poenis liberi etiam atque etiam deprecantur, vi-  
nos qui sumus in eos benefici, liberet hic à malis, & se cum  
tandem collocet in caelis.

199. Vnicum dubium restat. An is qui indulgentiam concedit  
capax sit illius acquirendae. Hoc Sotus proponens in 4. distict.  
21. q. 1. ar. 4. col. penult. pro parte negante adfert, quod confer-  
re indulgentias sit actus iurisdictionis in subditum, nempe  
possit in seipsum iurisdictionem exercere, vt patet ex eo quod  
nemo possit seipsum sacramentaliter absolueret. Pro asser-  
tante verò, quam ille sequitur & probabilior est, quod a ratione  
alienum prorsus sit; Papam eo quod sit Ecclesiae caput, ex-  
cludi ab illo beneficio; quod caeteris communicat: cum  
Princeps distribuens bona communia, possit suam portio-  
nem sibi accipere tanquam Reipublicae membrum, omnium  
etiam potissimum. Quod qui negauerit negare similiber de-  
bet, Papam posse gaudere priuilegio, quo dispensat etiam cum  
tota vrbe in aliquo die ieiunij. Et certe si in onerosis, illo ge-  
neralem legem qua imponit aliquod vt ieiunij vel festi ob-  
seruationem tenetur seruare, si non vt coactua, vt alij saltem  
vt dire ctua iuxta illud Canonizatum in c. Cum omnes. De con-  
suet. Patere legem quam tu eris ipse: non est negandum in  
favorabilibus ipsum posse participem esse beneficii quod ge-  
neraliter confert, si illo sicut caeteri indigeat, vt potest indul-  
gentiae beneficio indigere. Ad argumentum autem contra-  
rium idem author respondet, neminem posse quidem iuris-  
dictionem in seipsum exercere cogendo, sed absolueret se  
ipsum sacramentaliter, cum talis absolutio requirit vt Pae-  
nitens se Sacerdoti subiciat cui parere teneatur. Indulgen-  
tiam verò non concedi cogendo, sed aliquid facientibus cog-  
cedendo ex thesaurio Ecclesiae, pretium quo redimant poenas  
temporales, quas Deo debent pro suis peccatis. Quod bene-  
ficio ita concessum, potest perinde extra Sacramentum ac-  
in Sacramento obtineri.

## LIBER QVARTVS, ET TOTIVS OPERIS OCTAVVS, DE SACRAMENTALI ABSOLVTIONE.

SOLVTIONE.

PRAEFATIO.



ABSOLVERE idem est generaliter, ac expedire aliquem vinculis quibus constrictus tenetur: absolutioq. est ipsa actio ligati liberandi à vinculis: quorum nomine proprie significatur corporea, seu qua corpus ligant: per metaphoram vero ex illis sumptam: tum peccata, quibus spiritaliter ligatur humana anima, iuxta illud Prouerb. 5. Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur: tum censura Ecclesiastica, quibus Ecclesia spiritaliter constringit peccatores ad ipsorum correctionem & emendationem. Pro quo duplici spiritalium vinculorum genere, duplex distinguitur absolutio spiritalis: una à peccatis, & altera à censuris: quae sunt excommunicatio, suspensio & interdictum. De illa, quae communiter dicitur Sacramentalis, propositum nobis est hoc loco dicere: atque eam cum Caetano in summula, spectare primò secundum se absolute. Deinde in ordine ad Confessarium illam conferentem. Tertio, in ordine ad Penitentem, illam recipientem: & sic primum huius libri caput erit de Sacramentali absolute secundum se. Secundum de ea in ordine ad Confessarium. Tertium de ea in ordine ad Penitentem: quibus aliquot addenda sunt de absolute à casibus reseruat, quae peculiarem habet difficultatem: tam quoad potestatem absoluentis, quam quoad executionem eiusdem potestatis. Ad quam minuendam, quartum caput addetur de potestate absoluentis à reseruat. Quintum, de commissione eiusdem potestatis. Sextum, de illius executione: & Septimum, de eiusdem executionis effectu.

## CAPVT I.

De absolute Sacramentali secundum se absolute.

## SUMMARIVM.

- 1 Absolutio Sacramentalis, actus est iudicialis, & Sacramenti Penitentiae forma.
- 2 Essentia illius tota consistit in verbis Absolute, ab eiusdem Sacramenti ministro prolatis, cum debita intentione.
- 3 Peccatum est, eadem verba in Sacramenti administratione mutare in alia, eiusdem etiam sensus, & sufficientia ad persiciendum Sacramentum.
- 4 Cum qua intentione proferri debeant.
- 5 Quatenus sint Sacramenti forma.
- 6 Nec licet, nec valet absolutio Sacramentalis data sub conditione de futuro.
- 7 Quando licet data sub conditione de praeterito.
- 8 Quando data sub conditione de praesenti, etiam si illicita, valet.
- 9 Duo casus in quibus sic data potest licita esse.
- 10 Bis super eadem confessione dari non potest: super ipsa autem peccatis, iterata eorum confessione, potest.
- 11 Absolutio per aliquod tempus differri potest post factam confessionem, & impostam satisfactionem.

12. Manum penitenti imponere necessarium non est, non modo de necessitate Sacramenti, sed nec de necessitate præcepti.

Conterimus ea attingere de Sacramentali absolutione secundum se absolute, quæ ad praxim nobis propositam facere videntur, relictis aliis Theologorum scholasticorum considerationi, quorum sunt propria.

1. Primum est, Sacramentalem absolutionem actum esse iudicalem, quo à Sacerdote tanquam Iudice, sententia pronuntiatur, prout Concil. Trident. definit sess. 14. cap. 6. & Can. 9. Quod & in præced. cap. 3. statuit, ipsum Sacramentum Penitentiae formam esse, in qua præcipue, vis illius sita sit; addens consistere in verbis ministri eiusdem Sacramenti *Ego te absolvo*. Pro quo etiam facit hæc ratio, quam habet D. Thomas in 3. part. quæst. 84. art. 3. Illa est forma in vnaquaque re, per quam ipsa perficitur ab agente. Sacramentum autem penitentiae per ea verba perficitur à Sacerdote illius ministro; cum nihil ipse faciat aliud, quam præsupposita Penitentis confessione tanquam materia, verba prædicta proferre. Ergo ea sunt ipsius forma.

Notanda quoad essentiam & validitatem Absolutionis Sacramentalis.

#### SECTIO PRIOR.

2. Secundum est in solis illis verbis (*Ego te absolvo*) à ministro Sacramenti Penitentiae cum debita intentione prolata consistere totam Sacramentalis absolutionis essentiam. Quod Caiet. in verbo Absolutio à peccatis, ex Concil. Florentino confirmans; addit pronomen *Ego*, non esse de necessitate formæ, quia ipsum subintelligitur in verbo absolvo nec item ea quæ dictis verbis antecedenter aut consequenter apponuntur dicendo: Dominus Iesus Christus te absolvat, & ego autoritate ipsius te absolvo à peccatis tuis: in nomine Patris & filii & Spiritus sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi & merita beatæ Mariæ Virginis & omnium Sanctorum quidquid boni feceris vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & in præmium vitæ æternæ. Amen. Quamquam tñ talia merito censentur esse de congruentia, vt idem author tangit; quia cum Sacerdos absolvat tanquam Dei minister, non habens auctoritatem ex se, sed ex Deo, qui est principalis causa remissionis peccatorum: ne videatur sibi metalem auctoritatem arrogare, consentaneum est, vt prædictæ formæ absolutionis præmittat illa verba, *Dominus Iesus Christus te absolvat* itemque subiungat verba illa, *Passio Domini nostri, & c.* propterea quod delicta per absolutionem cuius, manet peccata in purgatorio luenda: quæ nobis relaxatur tñ per Christi & Sanctorum merita quæ nobis applicantur per indulgentias; de quibus proxime egimus in appendice præcedentis libri: tum per bona quæ facimus aut mala quæ patimur ex Dei amore in ipsius gratia constituti. Debere vero subiungere illa, *peccatis tuis: in nomine Patris & filii & Spiritus sancti*, nec vltimo modo omittit posse Concil. Trident. satis indicat, cum in cit. cap. 3. addidit, & cetera: hoc enim verbum ostendit saltem ex intentione Ecclesiæ nullo modo omittenda esse ea quæ Sacerdos postquam dixit, (*Ego te absolvo*, statim subiungit à peccatis tuis: in nomine patris & filii & Spiritus sancti: etiam si non pertineant ad Sacramenti essentiam: nec eorum omisio de se faciat absolutionem sacrilegam & inuálidam, si cetera adsint. Verba autem deprecatoria, tam quæ præcedunt absolutionem, *Misereatur tui & c.* quam quæ sequuntur, *Passio Domini nostri Iesu Christi, & c.* licet non sint pro arbitratu mittenda tum quia laudabilis sanctæ Ecclesiæ mos fert, prout Concil. Trid. habet in cit. cap. 3. vt absolutioni adiungantur: tum quia sunt Penitenti vtilia, pro impetranda dispositione ad gratiam, & recipiendam per absolutionem, & receptam deinceps conseruandam. Quamquam non est tanta eorum necessitas, quin si virgeat Penitentium multitudo, aut alia similis causa rationabilis, omitti possint; tanquam non modo ad essentiam, sed neque ad administrationem Sacramenti Penitentiae necessaria vt idem Concil. Trident. expressit. Et hoc ne quidem necessitate præcepti, vt habet Nauar. ad princip. cap. primi De penitenti. distinct. 6. numero 30. vnde ex Soto in 4. distinct. 14. quæst. 1. art. 3. col. penultima, ea omis-

sione nisi contemptus interueniat ne veniale quidem peccatum committitur.

Tertium est, mutationes quibus receditur à verbis per Ecclesiam determinatis in forma Sacramenti Penitentiae, non fieri sine peccato; etiam si ea tales sint quæ non obtinent quominus Sacramentum perficiatur: quod tamen peccatum Sotus ait loco citato non esse genere suo mortale, nisi forte ob scandalum: nimirum quia vulgus putaret talem formam non esse legitimam. Vbi aduerte Ecclesiam non præcipere vt sacra: eorum Penitentiae admittatur sub hac verborum forma (*Ego te absolvo*) quasi velit irritum esse Sacramentum, si sub alia admittatur: sed quasi velit declarare, talia verba magis quam alia conuenire ad eum usum: quia cum verba non pertineant ad Sacramenta nisi ex institutione diuina, conuenit vt ea, nec alia, vsurpentur ad Sacramenti, sub quibus ipsum fuit à Christo institutum. Sic quia ipse dixit Matth. vii. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & filii & Spiritus sancti: pro forma Baptismi vsurpantur verba, *Ego te baptizo in nomine Patris & filii & Spiritus sancti*. Pariter ergo quia Matth. 16. dixit, Quodcumque solueris super terram: & cap. 18. Quæcumque solueritis super terram erunt soluta & in caelis; conuenit vt illis verbis, *Ego te absolvo*, Sacerdotes Sacramentum penitentiae admittant, ad quod præstandum potestas per prædicta verba relicta est à Christo in Ecclesia ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. Itaque peccatum committere censetur, nisi signa tantia excuset, quisquis dictam formam mutat, etiam reuocato sensu non quod non perficiat Sacramentum, sed quod ritum Ecclesiæ non obleruet.

Quartum est, intentionem ministri verba ea proferentis debere in particulari esse exercendi actum per quem Sacramentum Penitentiae admittitur consenti: id eo quod si Sacerdos casu, nec ex intentione, verba ipsa Sacramentalia proferret, nequam absolueret. Cæterum in communi debet intentio esse faciendi quod Ecclesia facit per suos ministros iuxta Concil. Florentinum in instruct. Armenorum sub initium: non quod necessarium sit vt intra se actu dicat: Intendo facere id quod facit Ecclesia, prout bene mones Sotus in 4. distinct. 1. quæst. 5. art. 8. in fine: sed quod in eandem intentionem Ecclesiæ minister incumbere talis Sacramenti administrationi, & id quod sui muneris est exequi.

Quintum est, eadem verba non dici formam Sacramenti Penitentiae, quatenus voces quædam sunt materialiter: sed quatenus significant eiusdem Sacramenti effectum; nimirum peccatoris iustificacionem liberationemve à peccatorum vinculis: cum enim Sacramenti essentia nihil aliud sit quam signum esse rei sacrae, seu significare gratiam interius sanctificantem ex D. Thoma 3. quæst. 60. art. 2. & 3. cæteris Theologis in 4. distinct. 1. quæst. 1. fit vt vnum quodque, sius tanquam materia, siue tanquam forma: eatenus ad Sacramentum pertineat, quatenus significat: alioqui enim Græci qui ignorant has voces (*Absolvo te*) non perficerent Penitentiae Sacramentum. Vnde pro praxi ex D. Thomæ doctrina in citata quæst. art. 7. ad 3. & artic. 8. hæc regula sumitur: Quæcumque mutationes fiant in forma Sacramentali, dummodo sensus non mutetur, vere conficitur Sacramentum. Quæ intelligenda est supposita in ministro recta intentione faciendi quod ex Christi institutione facit Ecclesia. Nam verba Sacramentalia non habent ex sua natura, vt significant interiorem gratiam; sed ex diuina institutione: quæ illis in particulari applicatur per intentionem ministri. Quæ de causa Concil. Florent. loco cit. inter ea quæ requiruntur ad Sacramentum, numerat intentionem ministri. Ad quorum pleniorum intelligentiam documenta quædam addenda essent: sed quoniam sunt omnibus Sacramentis communia, in eum locum differenda sunt, in quo tradentur quæ in genere ad Sacramentalia pertinet, in sequenti libro 26.

Notanda quoad absolutionis Sacramentalis usum.

#### SECTIO POSTERIOR.

6. Sextum est, nunquam absolutionem à peccatis impendendam esse sub conditione de futuro: si Confessarius diceret, Si restitueris, aut si feceris talem penitentiam, vel aliud huiusmodi, ego te absolvo. talis enim absolutio esset nulla, vt recte probat Caiet. in summula verbo Absolutio à peccatis, vt in

Circa appositionem conditionalem, & post eum præter cæteros Nauarr. in Enchir. cap. 26. numer. 12. Quia non est in potestate Sacerdotis ministrantis Sacramentum; nunc temporis conferre illud & suspendere effectum eius in aliud tempus implendæ conditionis appositæ. Vnde, vt addit Caiet. sacrilegus est eiusmodi abusus formæ Sacramenti, quâ ipsam ex ratione perficitur, vt fructus ipsius excludatur per indebitam ministrantis intentionem. Idem iudicium est, vt ad huc Caiet. addit, si Sacramentalis absolutio impendatur sub rati habitatione Superioris: quoniam quod fit sub spe rati habitationis, quamuis voce tunc fiat; re tamen ipsa fit tanquam pendens, ita vt irritari nullumque esse possit.

Sub conditione vero de præterito, quando Confessarius dubitat an protulerit verba absolutiois, potest licite absolute dicendo: Si non es absolutus, ego te absoluo, &c. Sicut cum de aliquo dubitat an sit baptizatus, potest illum sub conditione baptizare dicendo, Si non es baptizatus, ego te baptizo &c. iuxta cap. 2. de baptismo.

Sub conditione denique de præsentibus, vt dicèd. Si vere stantibus resistere, vel præsentare te Superiori Absoluo te, &c. Absolutio data tenet, stante conditionali veritate, id est, si res vere se habeat vt supponitur: peccata tamen Sacerdos sic absoluens: quia sine iusta causa (quandoquidem in foro Pœnitentiali ex ecclesiæ communi vtu, Pœnitenti aliquid de se dicenti creditur absolute, & sine conditione) præsumit dare sub forma dubia, quod Christus mandauit sub certa forma ministrare, Adeo vt, addit Caiet. Si à Superiore facultas absoluedi à reſeruatîs commissa sit sub aliqua conditione peragendi certam pœnitentiam peregrinationis, vel elemoſynæ, vel alterius boni operis: ipse non debeat conditionaliter, sed simpliciter & absolute absolute Pœnitentem acceptantem talem pœnitentiam, aut saltem habentem animum implendi quamcumque ei iniungendam.

Duo tamen sunt casus, quos Iacobus à Graphijs lib. 1. decis. cap. 32. num. 2. ex Bartholomæo à Medina commemorat: in quibus dari potest absolutio sub conditione de præſentibus. Prior est, quando puer confitetur, & Confessarius dubitat an is habeat vsum rationis, vel an phreneticus in actu confessionis, sit sanæ mentis. Posterior est quando is qui confitetur iustus esse creditur, & ita virtutibus ornatus apparet, vt Sacerdos nequeat internoscere, an ea quæ ille confitetur sint peccata venialia nee ne. In illo enim casu, inquit memorati authores, Confessarius potest absolute dicendo Ego te absoluo à peccatis tuis, si habes vsum rationis. In hoc vero, dicendo Ego te absoluo si quæ confitetur sint peccata:

Cuius doctrinæ ratio reddi potest, quod absolutio sub conditione de præſentibus, sufficere possit ad Sacramentum: & quando res est dubia, tantum abest vt ea sit de se mala, quin potius remedium est præſentissimum ad vitandam moleſtiam, quam animus anxius vexatur, dum non suppetit ratio vincendi dubietatem, vt fere contingit in propoſitis casibus. Quamquam in eorum posteriore, quod etiam monet Iacobus à Graphijs, melius est aliqua dexteritate elicere ex ore Pœnitentis aliquid ipsius peccatum iam alias in confessione detectum, vt vsurpari possit vſitata absoluendi forma. Aut certe cum nullum dubium est de mortali, abstinere à Sacramentali absolute: prout prudentia, interiorque Spiritus sancti instinctus ad maiorem Dei gloriam esse dicat. Nam est cauendum est, absolute Pœnitenti facile negare, prout habet Nauarr. in Enchir. cap. 26. num. 3. tamen non fit ei iniuria, cum ideo non absoluitur, quod notetur aliquid absolute requisitum deesse in ipſo: vt deest materia absoluteſionis in propoſito casu.

Septimum est, nunquam esse impendendam bis absoluteſionem super eadem confessione: posse autem impendi super eodem peccatis, si eorum confessio iteretur. Cuius veritatis priorem partem Caiet. loco citato vsu Circa iterationem, probat: quia ipsa iteratione, utpote arguente insufficientiam prioris formæ, fit iniuria Sacramento. Posteriori partem vero probat: quia confessio tenet locum materiæ proximæ in Sacramento Pœnitentiæ; ex Concil. Florent. in antecitata instruct. Armenorum: vnde fit vt homo, qui potest pluries eadem peccata confiteri, possit quoque pluries ab ipsa absoluteſionem. De qua re Medina in Cod. de confessione quest.

25. Quamquam tamen in tali iteratione adhibendus est modus propter reuerentiâ Sacramenti. Nam ea laudabilis quidem est, quando fit seruatis prudentiæ conditionibus, non tamen aliter facta: nempe ex inquietâ phantasia & scrupulosa conscientia, cum molestia Confessarij iactura temporis: prout ex eod. Caiet. annotat Nauarr. ad cap. Fratres. De pœnitent. distinct. 5. num. 30. Videnda sunt in præced. lib. 2. cap. 10. dicta, de sexta specie scrupulorum.

Octauum est, absoluteſionem per plures dies differti posse, post factam confessionem & taxatam pœnitentiam: etiam si Confessarius interea obliuisceretur talis pœnitentiæ, dummodo ea illi in memoriâ prius reuocetur. Item posse in vna die confessionem audiri, & in altera iniungi pœnitentiam & absoluteſionem impendi: quia Pœnitentiæ Sacramentum non requirit tantam continuitatem agendorum & dicendorum quam mala Sacramenta. Ita habet D. Antoninus in summa confessionalis tractatu 1. par. 2. cap. 4. sub finem ex quod refert etiam Iacobus à Graphijs in lib. 1. decis. aur. cap. 32. num. 11.

Postremum est, ad absoluteſionis substantiam minimè pertinere, vt dum ea præfertur manus capiti Pœnitentis imponatur: imo neque de necessitate præcepti id faciendum esse Nauarr. ad princip. primi cap. de pœnitent. distinct. 6. num. 29. ex D. Thoma habet. Addens aliquando malum esse id facere: vt cum Pœnitens est femina, molli forte pulchritudine & molliter ornata. Similiter nec videtur necessarium esse vt Sacerdos dum absoluit manum extollat: licet vbi consuetudo regionis id fert, conueniat id facere.

CAPVT II.

De absoluteſione Sacramentali in ordine ad Confessarium.

SVMMARIVM.

- 13. Expositas in prima parte libro primo conditiones, absoluteſio Sacramentalis requirit in Confessario.
- 14. Prudentia Confessarij est, Pœnitentem circumſpectè monere, consolari, oburgare, interrogare.
- 15. Item non facile negare ei absoluteſionem, nec eam dare volenti à peccato mortali abstinere, aut recusanti restituere.
- 16. Item cognoscere dispositionem Pœnitentis: & quantum ad præteritum; si suis obligationibus satisfecerit: & quantum ad præſens; si sufficientem dolorem habeat; & quantum ad futurum si sufficienter emendationem proponat.
- 17. Item non absoluteſio de reſeruatîs, nisi habitâ ad id facultate: nec ante à peccatis absoluteſio, quam ab excommunicatione, & quam impoſuerit Pœnitentiam.
- 18. Forma seu modus absoluendi à peccatis.
- 19. Quid agendum cum Pœnitente qui cognoscitur occasiones proximas habere peccandi de cætero.
- 20. Quid item agendum cum eodem, si interrogatus in Confessione neget peccatum, quod Confessarius probe nouit esse ab ipſo commissum.

Sacramentalis absoluteſio requirit ex parte Confessarij, vt is sit Sacramenti Pœnitentiæ minister idoneus: vt esse censetur præditus qualitatibus, seu conditionibus ijs, quæ in prima parte libro 1. expositæ sunt: Cui expositioni addendum est de pertinentibus ad prudentiam Confessarij in absoluteſionendo Pœnitente, quænam illa sint.

Specièntia ad prudentiam Confessarij in absoluteſionendo.

SECTIO. I.

Hæc Nauarr. persequitur in Enchir. cap. 26. vnde dicitur in primis numeris.

Primum est, vt peracta confessione doceat Pœnitentem, si quæ sint, in quibus ipsum culpabiliter errare animaduertit.

Secundum est, vt pro Pœnitentium varietate alium increpet, alium consolatur, ad odium peccati, & virtutis amorem excitet, adhibitis salutaribus monitis & conuenientibus remedijs, iuxta ea quæ in 1. parte lib. 2. dicta sunt de ipsius tantam patris & Medici spiritualis munetibus.

Tertium est, vt præmissis, pro munere Iudicis, interrogationibus opportunis, faciat Pœnitentem concludere confessionem; dicendo quod de omnibus confessis & qui-

buscumque aliis, quorum non meminit à se commissis, doleat ex animo, petatque à Deo veniam, cum firmo proposito, nec illa nec alia, saltem mortalia, de cætero committendi, ipso benedicente, Ad quod non est voto, aut iuramento obligandus: exceptis casibus in iure expressis quos in præcedenti libro 7. cap. 2. in fine ex eod. Navar. commemoravimus.

15. Quartum est, vt non facile neget Pœnitenti absolutionem, dicendo peccatum mortale esse, quod non est; sed si dubitet, petat à Pœnitente inducias, seu spatium ad consulendos Doctores. Quod si ille nolit diutius sibi absolutionem differri, exigendum est ab eo propositum faciendi id, quod ipsum de iure debere facere confiteri. Tale enim propositum sufficit vt absoluat, prout ex Angelo & Sylvestro habet Navar. in *Enchirid. cap. 26. nu. 3.*

Quintum est, vt nullatenus absoluat nolentem abstinere ab eo quod certum est peccatum esse mortale: Christi enim minister existens in hoc sacro iudicio, graviter contra religionem & iustitiam peccaret absolviendo eum quem Christus non absoluit, pervertendoque dictum ipsius Matth. 18. Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis: ] quandoquidem solueret in terris eum, qui non soluitur in cælis.

Sextum est, vt non neget absolutionem Pœnitenti, cum in re inter auctores dubia, ille non vult eandem quam ipse sententiam sequi: nisi crederet se nisi textu aut ratione euidenti.

16. Septimum est, dare operam vt Pœnitens, qui ad restitutionem tenetur, obligationi suæ satisfaciatur. De quo & tribus præcedentibus vide tradita in præced. lib. 2. cap. 3. sect. 1.

Octavum est, vt curet cognoscere dispositionem Pœnitentis antequam ipsum absolvat: nempe respectu præteriti, si satisfecerit sufficienter alicui obligationi sub mortali, quam habeat exequenda aliquid. Respectu verò præsentis, si doleat ex animo de offensa Dei à se commissæ. Respectu demum futuri, si firmum propositum habeat: non peccandi de cætero.

Ac circa horum primum observandum ei est documentum, quod alii citatis tradit Suarez *tom. 4. disput. 32. sect. 2. num. 3.* non debere semper, priusquam pœnitentem absolvat, cogere ipsum id exequi quod facere tenetur; quia interdum satis est ad absolutionem à peccatis, vt firmum propositum habeat obligationem suam implendi. Cui promittenti credendum est, præsertim si tunc primum defecerit in executione, necdum inuentus sit infidelis & inconstans esse in similibus propositis; neque ex aliis coniecturis possit suspicio sinistra formari probabiliter. Deprehensus verò obligationem suam non implere, absolvendus non est, si quidem iterum ac iterum de illa, contra promissionem in confessione factam non implera, confiteatur: quia propositum, quod ab eo fit de nouo non potest moraliter iudicari magis efficax esse, quam prius factum: sed ipsum promittentem versari perinde in morali periculo relabendi, ac antea. Qua in re (vt idem Suarez ex D. Anton. Caiet. & Navar. addit.) Confessarios cautos esse oportet & constantes, ne peccatis alienis inuoluantur.

Circa secundum verò observare debet; vt si audita confessione, aut etiam adhibita cum opus esse iudicaverit, aliqua cohortatione; non habeat sufficientia signa præsentis doloris in Pœnitente, debeat ipsum interrogare, an ex animo de peccatis suis doleat? Et autem serò affirmanti credere tenetur cum nihil apparet quod obstat.

Circa tertium demum observare debet Confessarius sufficere posse si Pœnitens de præsentis concipiat generale propositum nunquam deinceps peccandi mortaliter: neque necesse est, vt Confessarius ipse persuadeat sibi aut etiam probabiliter iudicet eundem Pœnitentem servaturum semper tale propositum: sed satis est vt existimet, quod tunc tale habeat: quantumvis post breue tempus sit illud mutaturus. In quo idem Suarez omnes convenire ait. in fine præcedentis numeri 2.

17. Nonum est: vt Pœnitentem habentem casum reservatum non absolvat, nisi habitâ licentiâ ab eo, qui potest illam dare. Ad huius plenioris notitiam latè inferius dicitur de absolutione à reservatis.

Decimum est; vt Pœnitentem excommunicatum prius absolvat ab excommunicatione quam à peccatis; servatâ quoad fieri potest, iuris formâ: de qua re in sequenti libro ex instituto.

Vndecimum est, vt ordinariè satisfactionem imponat antequam absolvat à peccatis. De qua re iam dictum est in proximè præcedenti libro.

Duodecimum est, vt absolutioni à peccatis præmittat ad cautelam, absolutionem, à censuris, maxime ab excommunicatione, etiam si non confiteri Pœnitentem in eas incurrisse.

Postremum est, vt absolvat à peccatis eo de quo consequenter dicendum est modo.

*Modus absolvendi à peccatis cum explicatione duorum casuum difficultium.*

#### SECTIO POSTERIOR.

18. **I**am modus absolvendi à peccatis satis conveniens censetur traditus in directorio Polanci *cap. 4. art. 1.* vt postquam Pœnitens ad absolutionem dispositus dixerit, Mea culpa, & cætera quæ sequuntur in confessione generali: Confessarius dicat. Misereatur tui omnipotens Deus & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam: & manum, versus caput Pœnitentis elevans addat, Dominus noster Iesus Christus, qui est summus Pontifex te absolvat, & ego autoritate ipsius mihi licet indigno concessa, absolvo te imprimis à vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum & indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Post hæc remouendo manum dicat, Passio Domini nostri Iesu Christi & merita Beatæ Mariæ semper Virginis & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris & mali sustuleris sic tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ & in præmium vitæ æternæ Amen. Si tamen Pœnitens nullo ordine sit initiatus, omittendum est nomen suspensionis; quia non est capax censure per illud significata. Quod si constaret in particulari de censura aliqua incurfa, esset particulariter exprimenda per causam propter quam incurfa est; verbi gratia, dicendo Absolvo te imprimis à vinculo excommunicationis, quod incurristi propter Clerici percussorem. Siquè sæpius in eandem incurterit exprimendum quoties id contigerit. Si verò in diuersas incidere, diuersæ quoque causæ ad earum expressionem sunt exprimendæ.

Siquè Pœnitens adhuc incurrit in irregularitatem in qua possit Confessarius dispensare: ipse supra positus verbis in quantum possum & indiges, addere debet. Et dispensatio super irregularitate, quam incurristi propter tale quiddam verbi gratia, propter missæ celebrationem ante etatem: & habilito te ad actus legitimos. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, &c.

Hic occurrit monendum duos esse casus, in quibus Confessarius quoad absolutionem impendendam, facile potest perplexus esse; ideoque opus habet in illis, vt inuocatione Spiritus sancti, sic & prudentiâ magnâ.

Prior est, cum Pœnitens habet proximas occasiones peccandi mortaliter, quas vix potest relinquere sine scandalo & infamia, alioque graui incommodo humano. Siquè non relinquat manere in morali periculo proximo peccandi mortaliter. In quo casu nihil certi potest Confessario præsentibus ita vt totum negotium relinquatur prudentiæ ipsius: qui sic habeat rationem commodorum proximi, vt maiorem habeat gloriam Dei; cui sine controuersia potiores partes semper sunt deferendæ. Igitur videre debet, an talis occasio peccati, sit proxima, & voluntaria: vtumque enim id requiritur, vt reddat absolutione indignum, tanquàm eum qui amans periculum peribit in illo.

Iudicabit autem causam esse proximam, quando ea talis fuerit ex suo genere, quæ frequenter homines similis conditionis inducat ad eiusmodi peccatum: vel quando experimento constiterit, habere in eo homine talem effectum. Iudicabit autem non voluntariam quando moraliter vitari non potest: apparetque eam tali homini inferri potius, quam ab eo assumi: si quæ necessitas potius quædam, vel impotentia esse quam aliquid morale meritò censetur. Vide-

re quo-

re quoque debet, an sit aliquid remedium, quod à Pœnitente suscipitur, credatur posse eum Dei gratia, præsertim ipsum à lapsu in peccatum: tale enim remedium admittens cum firmo proposito non consentiendi peccato, possit absolui. Neque si iterum ac iterum recidat, obstabit quominus iterum confitens possit absolui: dum modo aliqua emendatio, diminutioque in numero peccatorum facta esse notetur. Interdum quoque absolutio differri potest. Omnino autem neganda est, quando nullus apparet profectus. Hæc docet Suarez tomo 4. disput. 32. sect. 2. in fine.

Posterior casus est, cum videt Confessarius Pœnitentem tacere aliquod peccatum, quod ab ipso commissum esse scit euidenter: & nihilominus idem Pœnitens de eodem interrogatus, illud negat in confessione. In quo casu hæc documenta poterunt vix esse Confessario, quæ Suarez tangit in fine sequentis sectionis tertie.

Primum est, cum in hoc foro credendum sit Pœnitenti, tam pro se quam contra se loquenti (nec enim alius testis in eo admittitur) regulariter standum esse illius confessioni: ideoque si alterius tantum relatione Confessarius sciat peccatum Pœnitentis in dubio debet huic magis credere, quam illi.

Secundum est, quamvis Confessarius certus sit commissum esse à Pœnitente peccatum, ut quia suis oculis vidit: si possit probabiliter existimare, quod ille iam de eo confessus sit, potest dissimulare credendo propterea tacere, quod sit de eo confessus.

Tertium est, si in proposito casu evidens sit Pœnitentem mentiri, ipsum tanquam nolentem integre confiteri de omnibus mortalibus (sive quoque obicem ponentem Sacramentali absolutio etiammodi integritatem requirenti ut sit valida: nullo modo absolvendum esse: quicquid ipse dicat; quia committeretur alioqui mortale peccatum sacrilegij, contra reverentiam debitam Sacramento instituto à Christo. Nec obstat communis regula, quod in omni iudicio debeat ludere secundum allegata & probata iudicare. In hoc autem foro non fit alia allegatio & probatio, quam dicti Pœnitentis: cui siue pro se, siue contra se dicenti creditur. Non obstat, inquam, quia in foro quidem externo, iudicium tanquam publicum, utpote spectans ad commune Reip. bonum, requirit scientiam publicam, tanquam ei proportionatam: sed in foro pœnitentia, iudicium quod secretum est & ordinatum ad privatum Pœnitentis bonum privata scientia Confessarii, ad eundem Pœnitentem redarguendum & convincendum, servare potest.

## CAPVT III.

## De absolute in ordine ad Pœnitentem.

## SVMMARIVM.

21. Quis in foro pœnitentia dicatur Pœnitens.
22. Nolens pœnitere absolvendus non est; qualis censendus non est, qui sibi de lapsu omnino timet, dummodo firmum habeat propositum non peccandi de cetero.
23. Singuli quidem Pœnitentes sunt ordinariè absolvendi seorsim, virgente tamen extrema necessitate salutis, nihil obstat plures simul absolui.
24. Absolutio à peccato non potest dari ad reincedentiam, sicut absolutio ab excommunicatione.
25. Ager qui nullum signum contritionis dedit, absolvendus non est; qui vero dedit, etiam si vnicum tantum peccatum exprimere valeat, absolvendus est.
26. Explicatio difficultatis, An sufficiat in genere tantum dedisse contritionis signum, ut percussio pectus, vel extollendo oculos aut manus in celum.
27. Approbatio parva affirmantis per refutationem rationum contrariarum.
28. Pœnitens qui nondum presente Sacerdote signa dedit contritionis, absolui potest.
29. Documenta pro confessario qui egro administrat pœnitentia Sacramentum.
30. Quid agendum sit Confessario cum aliquem absolverit, quem non potius, propter aliquod impedimentum, explicatur distinctione.
31. Quid cum error tantum levis commissus est.

32. Quid cum à se dimisit sine absoluteione eum, quem absolvere debuit.

33. Quando ad supplendum istiusmodi defectum sit, vel non sit opus iteratione confessionis.

34. Is cui à Papa concessa est facultas eligendi Confessarium à quo possit ab omnibus reservatis absolui, non redditur ex eo indignus absoluteione, quod propterea liberius se in ralem casum præcipit avertit.

35. Religiosus habens tantum venialia, aut mortalia de quibus iam discrete absolutus est, aut in mortis articulo constitutus, potest à simplici Sacerdote absolui.

36. Non requiritur approbatio Episcopi in Sacerdote ad valide absolvendum Religiosum.

37. Per privilegium concessum Mendicantibus, absolvendi quoscumque ad se venientes, non possunt ab ipsis absolui Religiosi ordinis alterius à suo.

38. Novitius ab excommunicatione absolutus in religione, hanc reinuens in illam reincedit.

39. Potest Episcopus regularem exemptum quem Superior ei subiecerit absolvere, cum etiam cum eo dispensare in casibus sibi concessis.

**P**œnitentem in foro Pœnitentia dicimus, Christi fidelem, qui rite facta peccatorum suorum confessione, capax est recipiendæ absoluteionis Sacramentalis: & intendit eam recipere: intentione saltem simili ei, quam Confessarium à quo impenditur, debere habere in præced. num. 4. artigimus, nimirum ut sicut ille debet saltem intendere, id facere quod facit Ecclesia, seu quod solent in Ecclesia, Ministri Sacramenti Pœnitentia: ita & iste recipere id quod fideles solent, dum ad Sacramentum Pœnitentia accedunt.

De re autem proposta, Notandum est, ex Navarr. in Enchir. cap. 26. num. 3. sicut non est facile neganda Pœnitenti absolutio propter aliquod peccatum de quo inter doctores an mortale sit dubitatur, ne ille errore illaqueatur: sicut latenus absolvendum esse nolentem abstinere ab eo quod certum est esse mortale; ne Sacramentum sacrilegè contaminetur. Vbi tamen cauendum est, ne pro nolente abstinere habeatur is, qui propter magnam consuetudinem quam habet peccandi, putat se iterum peccaturum, sed omnino vult cavere, & firmiter proponit non peccare. Nam ralem absolvendum esse Franc. à Viç. De Sacramen. num. 197. ex eo probat: quod consuetudo relabendi non impedit quominus is qui facit quod in se est, habeat bonum propositum, etiam si propter experientiam, non possit facile credere, se deinceps non peccaturum. Irrestitutum autem censurâ Ecclesiasticâ, quantumcumque bonum propositum habeat, oportet prius ab ea absolvere, quam à peccatis: Nam peccatum graue esset excommunicato, vel à diuinis suspensio aut interdicto, scienter Sacramentum ministrare à cuius perceptione ille excluditur. Per cap. Si celebrat, De Cleric. excomm. Cæterum ex Caetano in tomo 1. opuscul. tract. 5. quest. 7. is qui cognoscens statum suum malum, & nihilominus rogat ut à Confessario absolvatur, excusatur à sacrilegio, si bona fide cum viro docto & pio id tractet: neque existimet sacrilegio, sed bono operi se operam dare.

Notandum est secundo, etsi Pœnitentes, sicut singuli seorsim audiendi sunt confitentes; sic etiam absolvendi sint singuli seorsim; tamen ut Alphons. à Vivaldo in Candel. aucto cap. De absoluteione num. 76. ex multis nobilibus authoribus habet: quando in mari procella, aut peste leniente, aut conflictu belli virgente, deest commoditas singulos seorsim audiendi & absolvendi, Sacerdotem tunc posse audire peccatis aliquibus vniuscuiusque, simul omnes absolvere, dicendo, Ego vos absolvo à peccatis vestris; præmissa cohortatione ad dolorem concipiendum de omnibus suis peccatis. Et quamvis authores ab ipso relati, id non habeant expresse, ratio tamen quam adfert contemnenda non est: nempe, quod cum olim in primitiva Ecclesia & nunc apud Indos multi simul vna asperione baptismi inicitentur dicendo, Ego baptizo vos, &c. Sacramentum pœnitentia validum esse possit administratum illo modo, qui vitandus non est tanquam sacrilegus quando constitutus in extrema necessitate salutis, aliter subueniri non potest. In quo discernendo tanquam vix visitato non est necesse nos immorari.

De absolutione constituti in articulo mortis.

## SECTIO. I.

**N**Oandum est tertio, quemlibet Pœnitentem debetè dispositum, absolui posse in articulo mortis à quouis casu per quemvis Sacerdotem. De qua re iam alias diximus in lib. 1. num. 3. & aliquot sequentibus.

24. Tantum addendum est quod quamvis data absolutio ab excommunicatione reservata, censetur ad reincedentem; quia si Pœnitens ex morbo conualecens non præsentet se Superiori, commoditate habita; recidit in eandem excommunicationem per cap. Eos qui, de senten. excomm. absolutionem tamen à peccatis, neque tunc, neque unquam alias censendam esse ad recidendum ad priorem peccatum statum: tum quia sine peccatis Dei dona] ad Rom. 11. tum quia absolutio ad reincedentiam coincidit cum ea, quæ datur sub conditione de futuro reprobatâ superius in c. 1. num. 6.

25. Notandum est quarto; constare inter Doctores non esse impendendam absolutionem Sacramentalem ægro, qui nec dat nec dedisse cognoscitur, signa contritionis: quia tunc nulla interuenit confessio, sine qua absolutionem Sacramentalem impendere sacrilegium est. Constare item absolui posse eum, qui si non verbo, saltem nutu, alioue signo externo peccatum aliquod in specie confessus, morbo impeditur cetera confiteri: quia confessio iusta de causa truncata, sufficit ad obtinendum absolutionem vt docuimus lib. 6. cap. 5. nu. 151.

26. An autem is qui in genere tantum exprimet signa contritionis, percutiendo pectus, vel eleuando oculos aut manus in cœlum, nec potest verbo vel alio signo, vllum in particulari peccatum manifestare, absolui Sacramentaliter possit, non modica difficultas est. In vtramque partem auctores commemorat Alphons. à Vivaldo in Candel. aureo cap. De absolutione num. 70. & 71. & quamvis magni nominis auctores partem negantem sequantur, inter quos est Nauarr. in Enchir. cap. 26. num. 28. permittens nihilominus tali confessori Eucharistiam & extremam vnctionem atque absolutionem à censuris.

27. Attamen pars affirmans, nimirum quod absolui possit is, qui prædicto modo signa contritionis dederit, probabilis est, & tuta in praxi. Nam præterquam quod fauet animabus, & Dei immensam in peccatores misericordiam commēdat, approbatur calculis multorum celeberrimorum Theologia professorum modernorum, quos idem à Vivaldo commemorat, eis addens aliquot antiquiores: quibus alios adhuc citans, Suarez rom. 4. disput. 23. sect. 1. assentitur: vt & Henricus in sua summa libro 4. capite 1. in fine, & libro 6. cap. 10. §. 7.

Neque eiusmodi sententiæ reprobandæ datur ratio conueniens. Cum enim obicitur non nisi confessio de peccatis, dandam esse absolutionem Sacramentalem: respondetur potest in proposito casu Pœnitentem confessum esse nutu, quod sufficit quando confessio nequit fieri verbis & dum vrgetur, eam confessionem esse generalem per quam conscientia peccatoris à quo fit non plus innotescit, quam sine illa; quia ostendit generaliter quod is peccator sit. Sacramentalem verò confessionem ex diuina institutione debere fieri de peccatis singularim in specie, & numero. Voluit enim Christus Sacramentum pœnitentiæ iudiciale esse. Iudicis verò sententiæ, apta esse non potest, nisi Iudex ipse peccata in specie & num. cognoscat. Dum, inquam, hoc vrgetur, responderi potest; ex Christi quoque institutione confessionem Sacramentalem esse debere integram; & tamen necessitatem facere, vt confessio mutilata, sufficiens sit ad obtinendum Sacramentalem absolutionem. Quocirca necessitatem similiter facere posse, vt ad eandem obtinendam sufficit confessionem fieri in genere de propriis peccatis, quando ad speciem & numerum descendendi non potest. Confirmatur, quia si quis recordetur se peccasse mortaliter, & oblitus est cuius speciei fuerit illud peccatum: potest, imò & debet confiteri se peccatum mortale admisisse, cuius nequit in particulari meminisse. Idem iu-

dicium est si recordetur & dubitet, mortaliter fuerit an veniale. Quam doctrinam ex D. Thom. & aliis adfert à Vivaldo in sine citati num. 71. & ex Maiore Nauar. in Enchir. cap. 10. num. 7.

Neque illud quod Iudicis sententiæ apta esse non possit nisi in particulari cognoscantur peccata, multum vrget: quia in casu proposito aduersarij faterentur confitentem, si vel vnicum veniale expressisset in particulari, absolui posse: quo tamen posito nemo dixerit cognosci tunc à Confessario peccata Pœnitentis in specie & numero sufficienter ad sciendum aptum iudicium, quale aduersarij volunt fieri tantum delictis à Iudice sigillatim cognitis. Itaque tale quid est quidem omnino necessarium in iudicio instituto ad punitionem delinquentis, quæ delicto correspondere debet: non tamen in instituto ad delinquentis curationem & emendationem: quale est iudicium Pœnitentiæ: vt rectè expositum est à Caiet. in tom. 7. opusc. tract. 5. quæst. 3.

Porro quod D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 2. vult propositam doctrinam procedere etiam cum Pœnitens nondum præsentente Sacerdote dicta contritionis signa dederit, si interueniat sufficiens testimonium eorum qui præsentis fuerunt cum illa daret, rationi consentaneum est; quia ibi cernitur, confessio facta per interpretem, quæ per alium declaratur mens Pœnitentis, perinde ac dum verba illius ignota explicantur in consueta confessione per interpretem. Nec est quod obicitur ibi posse esse deceptionem falsò attestantium: quia hîc quoque potest esse deceptio falsò interpretantium. Negandum tamen non est, quin ea res prudentiam requirat Confessarij: ne quibusuis, ac quouis modo attestantibus credat; neque vbi alia suppetent, istiusmodi remedium vsurpet, nullâ æternæ damnationis vitandæ necessitate urgente: vt cum æger probabiliter crederetur contritus cui sine irreuerentiæ periculo porrigi possit Sacramenta Eucharistia, vel saltem Extrema vnctio. Ac de iure ad cauendum sacrilegium, ipse in dubio det absolutionem sub conditione de præsentibus. Si tu es capax absolutionis, ego te absoluo, &c. Quod placuit notatum inuenire apud Melchiorum Zambranam in suis decisionibus aureis cap. 4. dubio 2. in quo de tota hac re fusè agit cum in cæteris compendiosis sit. In ea non hærebimus diutius; cum ad praxim sufficere posse videantur antedicta. Non sunt verò prætereunda silentio documenta, quæ Suarez attingit initio citatæ sectionis 1. merito notanda iis qui administrant hoc Sacramentum.

Primum est, cum interuenit vera necessitas (vt cum mortis probabile periculum, Confessarius alioqui incurreret, vt g. in graui contagione) posse absolutionem dari ante consummatam integram confessionem. Ratio est: quia præceptum de integritate confessionis non obligat, sicut nec aliud possitium, ad simpliciter aut etiam moraliter impossibile.

Secundum est; quoad fieri potest dandam esse materiam certam; seu in confessione exprimendum esse si possit fieri, peccatum in sua specie; etiam si nullius mortalis esset quis sibi conscius. Ratio est, quia religio Sacramenti id postulat.

Tertium est habentem peccatum mortale debere potius de illo confiteri eo bi cui tempore, quam de quocumque veniali. Ratio est quia peccatum mortale de necessitate præcepti confitendum est, non autem veniale.

Quartum est, si Pœnitens absoluitur propter probabilem timorem mortis ante perfectam confessionem, necessarium sequatur mors, confessionem ipsam continuari debere, donec integrè fiat, si tempus ad id concedatur. Ratio est, quia illam integrè fieri, est per se necessarium necessitate præcepti; ideoque implendum quantum fieri potest durante periculo in quo viget eiusdem præcepti obligatio: finita verò tali confessione, iterum danda est absolutio; quia nouum Sacramentum perficitur, distinctum numero ab ante col-

lato.

\* \*

\*

De eo quod agere debet Confessarius cum aliquem absoluit quem non debuit.

## SECTIO II.

Notandum est quintò difficultatem esse quid agendum sit Confessario, cum ex ignorantia aliquem absoluerit, quem non poterat ob casum reservatum, vel aliud impedimentum; aut per obliuionem à se dimiserit sine absolutione, aut in præiudicium tertij dixerit non esse restituendum, quod reuera erat alienum. De qua difficultate olim disputatum fuisse in Concil. Basiliensi, nec quidquam resolutum fuisse ob varietatem sententiarum meminerunt Medina in Cod. de confess. quæ 35. à Victor. de Sacram. num. 185. & Soto in 4. distin. 18. quærit. 4. art. 6. col. 4. ex Ioanne Nider qui eidem disputationi interfuit.

Est autem explicanda distinctio (de qua plenius Suarez tomo 4. disput. 32. se. 6.) Nam si Confessarius cui aliquid tale contigerit, probabiliter timeat scandalum, si conueniat Pœnitentem; vt quia is conuictus est de re vel reuelatione confessionis, debet (inquit à Victor. & ante eum D. Antoninus; par. tit. 17. cap. 12.) illum relinquere; & Christo Sacerdoti summo committere; præsertim quando multi sunt, vel à loco Sacerdotis longè distantij, in quorum confessionibus defectus cõtingit; prout quibusdam placuisse habet D. Antoninus. Sin nullum notabile scandalum Sacerdos probabiliter timeat, debet conuenire Pœnitentem, & docere grauem errorem in audientia suæ confessionis commissum esse; ideoque petere vt velit iterum sibi confiteri, vel saltem tibi facere potestatem sub eodem Sacramentali sigillo, ipsum docendi veritatem: ita Soto. Ad Sacramentum tunc teneri consilium Sacerdotis capere; sique illud respuerit, trāsfundi in ipsum culpam Sacerdotis. Neque ex eo excusabitur, quod ita videatur suum peccatum ei extra confessionem improbari: quia, vt à Victoria attingit, non fiet ei iniuria, tale quid dicendo, quale propositum est ex Soto. Quod si pudore forte in eo afficiatur, tanquam ei sua exprobrentur peccata, id imbecillitati suæ tribuere debet; non iustè petitioni Confessarij.

Iam si acquieverit, inquit à Victoria, dicam ei Confiteri peccata in generali; id est dic, Confiteor de omnibus peccatis quæ tibi in tali confessione aperui: atque declares si quæ adhuc à te commisit, quia in illa tua confessione contigit talis defectus ex quo fuit inualida. Aut si me dicente sibi scias quod in confessione mihi à te facta, defectus quidem commissus sit: vis illum audire: ipse respondeat se velle; dicam ei sine serupulo: scias quod tu eras excommunicatus, & ego non potui te absolueri, vel aliud, quod forte interuenit impedimentum absolutionis. Nam si ex communi doctrina à nobis explicata in lib. 3. cap. 5. sect. priore, licet de pœnitentis licentia, peccata ipsius alteri reuelare, multo magis ipsimet, si licentiam dederit.

Aduerte autem ex Soto, si error, quem in confessione commissum Confessarius deprehendit, non sit adeo grauis, sed Pœnitens absolutus fuisse credatur: non esse curandum de illo reuocando & conueniendo: maximè cum non facile, imò (vt aduersus Palud. habet à Victor. in fine cit. num. 185.) nullo modo liceat Confessario de peccato sibi confessio mone-re Pœnitentem: ne quidem secretò, & correctionis gratià; nisi in confessione interueniat antedictus defectus, cui Confessarius tenetur qua ratione potest remedium adhibere, tanquam is qui illi causam dedit, vt confirmat Medina loco antea citato.

De eo quod agere debet Confessarius, cum sine absolutione dimisit aliquem illius incapax.

## SECTIO III.

Notandum est sextò congruenter antedictis, quando Confessario constat (cum dubitat debet sub conditione absolueri dicendo, Sin non es absolutus, Ego te absoluo, iam in præced. num. 7. notauimus) se non absoluisse Pœnitentem, debite quidem confessum, sed per inaduertentiam à se dimissum sine absolutione: tunc si idem Pœnitens adhuc sit præsens, etiam si aliquantulum remotus, debere reuocari: Idque cum ea dexteritate, vt suam negligentiam Confessarius ipse aliis minime prodatur. Si verò non possit si-

ne scandalo reuocari: illeque talis sit, qui expectet communionem, vel de quo ex qualitate personæ probabiliter eidem Confessario constet, quod nondum incidit in nouum peccatum mortale: debere etiam absolui aliquantulum remotum: nisi de eius præsentia ipsemet Confessarius dubitaret: quia tunc (sicut & quando constaret recessisse ab eo loco, vt discessisse ex templo) expectanda esset commoditas illius reuocandi, eo modo, quo in præcedenti notabili habitum est.

Notandum est septimò, cum supplendus est per nouam absolutionem defectus in præcedenti confessione commissus; si is fuerit essentialis, id est ex eorum numero qui confessionem ipsam reddunt inualidam; vt quando facta fuit sine iusto dolore, aut sine debita integritate, aut non habenti iurisdictionem: tunc de necessitate iterandam esse ipsammet confessionem; nisi quòd cum iteratur eidem Sacerdoti qui illius adhuc memor est, sufficiat dicere se de illis de quibus antea male confessus est, iam ex animo confiteri; addito defectu commissio, atque aliis peccatis, si quæ adhuc sint quibus suam conscientiam grauari sentiat. Si vero defectus non sit confessioni essentialis: vt cum ritum ex eo, quod confessor non protulit verba Sacramentalia, Absoluo te à peccatis tuis: distinguendum est, prout habet Suarez tom. 4. disputatione 22. sect. 6. sub finem. Si enim ipse iurisdictionem sufficientem habens, iam imposuit pœnitentiam, non indiget memorià peccatorum ad absoluedum de nouo: imò vt ille contra Nauarrum addit; neque memorià pœnitentiæ imposuit: sed satis est vt recordeatur illum suum Pœnitentem fuisse benè dispositum, riteque confessum; neque postea quidquam (ipso testante cui credendum est) graue commississe. Sin pœnitentiam non imposuit: neque in particulari, neque secundum consuetudinem aliquam & moralem rationem recordeatur grauitatis peccatorum, & status conscientie Pœnitentis, oportet ipsum, vt rectè suo munere fungatur, iteratam noticiam postulare; quia licet ad validè absoluedum non sit necessaria distincta noticià & memorià peccatorum (quòd quidem sine illa interuenire possunt omnia quæ essentialia sunt pœnitentiæ Sacramento; nempe materia & forma cum debita ministri potestate, & intentione) requiritur tamè ad imponendam dignam pœnitentiam, cum æquitate iudicij: & ad consilium & remedium, medicinamque accommodatam Pœnitenti adhibendum. Quod notabile habet quoque Henricus lib. 5. cap. 15. in fine, alios citans in margine.

Notandum est octauò (quod tenentes authores plures commemorat à Vivaldo in Candel. aureo, cap. de confessione nu. 24.) eum qui ex confidentia bullæ accipiendæ, vel acceptæ, vel alterius priuilegij facilius se præcipitauerit in casu reservatum, posse ritè confessum absolui per talem bullam seu priuilegium. Quod confirmari potest eodem argumento quo Caiet. 2. 2. quæst. 21. art. 2. probat illum non aggravare suum peccatum sed minuire, qui peccat sub prætextu, quod postea confitebitur & ager pœnitentiam: nempe, quia id voluntatis est transitoria, & non pertinacis in malo. Limitandum est verò, vt non procedat in casu particulari, in quo Superior nunquam concessisset priuilegium, si particulariter ei talis casus indicatus esset: quoniam in generali confessione non veniunt ea quæ quis verosimiliter concessurus non esset in speciei, ex 8. Regula iuris in 6. Sic quoniam Papæ ei qui Episcopum interfecit cum magno multorum scandalo; grauique Ecclesiæ detrimento: nunquam concessisset in particulari priuilegium, per quod posset à quouis Confessario à se electo absolui, non est censendus id ipsum concessisse, quando generalem dedit ei facultatem eligendi Confessarium, qui posset ipsum absolueri ab omnibus peccatis, & censuris, etiam reservatis in bulla Cœna Domini.

De absolutione in oratione ad Pœnitentem Religiosum.

## SECTIO IV.

Notandum est nonò, de absolutione Religiosorum aliquam difficultatem esse, cuius explicationem persequitur Alphonsus à Vivaldo in Candel. aureo cap. De absolutione num. 18. & aliquot sequentibus: ex quo pro praxi, hæc propositiones sunt obseruandæ.

35. Prima est, Regulares posse absque speciali privilegio, à simplici etiam Sacerdote absolui, quando tantum habent venialia, aut iam absoluti sunt ab omnibus mortalibus, de quibus confitentur, aut quando constituti sunt in articulo mortis. Ratio est, quia ex recepta doctrina ante à nobis propofita lib. 2. cap. 4. sub initium, nec de venialibus nec de mortalibus iam directè absolutis, quisquam tenetur cōfiteri: & in articulo mortis, quilibet à quibuslibet peccatis quomodocumque referuatis absolui potest per quemlibet Sacerdotem, vt habet concil. Tridentin. sess. 14. cap. 7. sub finem.

36. Secunda est Religiosum, cui à suo Superiore facta est potestas eligendi Confessarium, posse confiteri alterius ordinis Religioso, vel seculari Sacerdoti, etiam per nullum Episcopum approbato. Ratio est, quia electus iurisdictionem in eū accipit extraordinariam, neque Concilium Trident. faciens decretum de approbatione Confessarij, quidquam noui statuit circa confessiones regularium. De qua re diximus in libro primo num. 175.

37. Tertia est, Religiosos habentes privilegium cum clausula, quod possunt audire peccata quorumcumque, vnde cumque; ad se venientium, non posse audire confessiones aliorum Religiosorum extra casus in duobus præcedentibus propositionibus notatos. Ratio est, quia generalis concessio intelligitur secluso iuris alienius præiudicio, ex cap. Quamuis, De rescriptis in 6. Præiudicat autem Religioni (propter perturbationes nimirum quæ inde nasci possunt) quod Religiosi dirigantur, vitæque emendandæ & in posterum instituendæ rationem accipiant ab alienis, à non & suis prælatis vel eorum Commissariis. Vnde (vt memoratus Alphonsus refert nu. 2.) Pius quintus consultus, An Religiosus ex medicantibus possit pro arbitrio eligere sibi Confessarium, virtute bullæ cruciatæ, vel alterius quæ sit potestas eligendi Confessarium qui absoluat etiam à casibus referuatis. Respondit non posse. Quod similiter responderunt, vt idem author addit, multi primarij Magistri Salmanticenses. Idem tangens Henriquez in sua summa, pro eo plura adfert quæ apud ipsum videri possunt lib. 6. cap. 16. §. 7. in margine, lit. P.

Cæterum semper videndum est, quid ferant vniuersitatisque Religionis privilegia; per quæ plerumque, vt constat ex his quæ idem Henriquez adfert, sic derogatur talibus bullis, vt virtute illarum nequeat Religiosus absolui per non designatum à Superiore suo.

38. Quarta propositio (quam idem Alphonsus tangit in præced. num. 23. & 24.) est: Nouitios Religionum posse in eisde, sicut professos, absolui ab excommunicatione referuata: in quam tamen recidunt si non perseuerent, etiam iusta de causa dimissi. Ratio est, quia privilegium illis tantum conceditur, dum sunt in via ad Religionem capeffendam.

39. Pro vltima propositione addi potest, quod adfert Henriquez in sequen. §. 8. Regularem exemptum, si proprius Prælati illum subdat Episcopo loci in quo domicilium habet, posse ab eodem absolui & perinde dispensari, ac potest Clericus subditus ei, ratione dignitatis qua præeminet. Non posse verò sine Prælati licentia; quia id esset contra privilegium exemptionis tali religioni concessum. Quamquam si licentia eiusmodi expresse haberi nequeat: siue quia Prælati ille est nominatim excommunicatus: siue quia nimis longè abest: siue quia mortuus est, censenda est haberi tacita: ne contingat regularem vagari recurrendo ad Papam ex cap. Religioso, De sentent. excommunicationis in sexto.

CAPVT IV.

De potestate absoluedi à casibus referuatis.

SVMMARIVM.

- 40. Quis potestatem ordinariam habeat absoluedi à referuatis, & quis delegatam.
- 41. Superior non requisito inferioris consensu dare potest facultatem absoluedi à casibus, quos nem inferior sibi referuauerit.
- 42. Cognoscenda est mens dantis istiusmodi facultatem.
- 43. Quando superior contra iustitiam peccata recusando delegare facultatem absoluedi à referuatis.

- 44. Quando recusare possit, aut etiam debeat.
- 45. Quando recusando peccet contra debitum charitatis.
- 46. Non excusat eam recusationem aliena vilitas.
- 47. Excusare autem potest alienum incommodum.
- 48. An excuset verecundia.
- 49. Superior facilius potius quam difficilis esse debet in concedenda facultate absoluedi à referuatis.
- 50. Non cogitur dare generalem facultatem consulendi cuiuscumque penitens voluerit.
- 51. Facultas perita pro peccatis commissis potest concedi cum onere imponendi aliquam penitentiam, & quomodo non item cum onere presentandi se superiori.
- 52. Vtrumque onus imponi potest cum peritur facultas pro peccatis committendis.

**H**æc potestas esse potest vel ordinaria, vel delegata. Ordinariam habet, qui peccata referuauit, & superior ipsi referuatis in penitentiali foro potestatem à talibus peccatis absoluedi ordinariam. Nam is qui iurisdictionem adfert per referuationem, ita tenet illam sibi, vt non præiudicat Superiori in eius iurisdictione, ex c. Inferior, distinet. 21. Quod cum ita sit, peccatum ab Episcopo referuatum, non referuatur Papæ; referuatur autè Archiepiscopo, qui dignitate quidem est Episcopo superior, non talem, sicut Papa, cum iurisdictione in foro interiori: nullam enim talem habet in Diocesi si Suffraganei sui ex ca. Pastoralis, De offic. Ordin. nisi quando eam vinitur ex cap. finali De censibus in 6. Similiter nec in religione peccatum referuatum à Prouinciali, referuatur Generali. Delegatam verò istiusmodi potestatem obtinet Sacerdos, cui est directè concessa ab eo qui habet ordinariam prædictam: aut qui electus est à Penitente licentiam habente sufficientem ad eligendum sibi Confessarium, à quo absoluetur à referuatis. De qua delegatione quædam occurrunt proponenda notatu digna.

De delegatione potestatis absoluedi à casibus referuatis: notanda ex parte delegantis.

SECTIO I.

**N**otandum est primò, non tantum referuarem posse committere potestatem absoluedi à peccatis quæ sibi referuauerit, sed etiam ipsius Superiorem: si que Papam potestatem absoluedi à peccatis, quæ Episcopus sibi referuauit, dare posse non requisito ipsius consensu. Quod probatur: tum ex communi Ecclesiæ consuetudine: tum ex sensu quem omnes boni Catholici communiter habent de summa Papæ autoritate: tum demum aperta ratione: quia quidquid in hac re Papa exequi potest per seipsum, potest etiam per suum commissarium. Per seipsum autem à peccatis quæ Episcopus sibi referuauerit absoluedi potest, non requisito ipsius consensu: ergo idem etiam potest per suum commissarium.

Notandum est secundò: talem potestatem obtineri potest tum ab homine, tum à iure, tum etiam à necessitate, minime autem à consuetudine; cum referuatio sit declaratio quedam voluntatis Superioris, vt nemo à tali peccato absoluat, sine suo consensu: contra quem consensum consuetudo in hoc foro nihil potest, iuxta illud quod in cap. Si Episcopus De penit. & remiss. in 6. dicitur: nulla posse consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absoluedi & ligare. Quamquam tamen ea consuetudo; qua vidente & tacente Superiore, qui prohibere possit; inferiores passim absoluerent à referuatis, testis esse posset ablatæ referuationis, prout Henriquez notat in summa lib. 6. cap. 14. num. 9. lit. B. ex recentiorum doctrina. De potestate autem obtenta à necessitate etiam dictum est in lib. 1. num. 58. & aliquot sequentibus. De obtinenda verò ab homine.

Notandum est terciò, dum obtinetur, si quidem confessio fiat ore ad os loquendo, curandum esse vt concedens mentem suam exponat sufficienter: si verò fiat absenti, considerandam esse verborum vim, & expendendas circumstantias, ex antecedentibus & consequentibus eliciendo concedentis intentionem. Vbi pro principio tenendum est illud, quod habetur in citato c. Si Episcopus: Superiore generaliter dante potestatem audiendi confessiones suorum subditorum, non dare

40. dare eo ipso potestatem absoluedi a casibus qua sibi referuauerit.

Notandum est quartò, quod Suarez tractat tom. 4. *disput. 30 sect. 4.* contra debitum iulitria peccare Superiorem, si subdito neget facultatem eligendi Confessarium, à quo possit à referuatis absolui: illam proprietate petenti, quod merito damnatum aliquod grane, & confessionis extrinsecum, sibi timet: sine ab ipsius Superiore, sine ab alio cui vices suas commisit inferendum: vt ipse qui reuelaturus est confessionem vel accepta ex confessione scientia vltus est in nocentum graue eiusdem subditi: aut etiam quia ille graues cum ipso gerit inimicitias: aut quia ille idoneus non est ad ferendum de ipsius interno statu iudicium, cum sit ignarus; aut ita improbus, vt loco Medicinæ sit scandalum allaturus. Quod totum ex eo confirmatur, quod superior suo inferiori debeat administrationem huius sacramenti, nec possit illum cogere ad se in ea exponendum periculo alicuius grauis nocenti externi.

44. Vbi autem abest tale periculum, eam facultatem negari posse à Superiore, argumentum est: quod aliqui nullius ferè momenti esset referuatio, à qua tam facili negotio subditus liberaretur: neque enim tanquam onerosa, valeret ad peccatores coercendos, & peccata curanda: in quem finem ea instituitur. Imò certum est negare debere, quando probabiliter timer eam, tanquam venia facilitatem, fore subdito occasionem scandali relabandue in peccatum, aut etiam quando suspicio est probabilis, peccatum tale esse, quod vergat in damnum communitatis, aut tertie personæ; cui audita confessione, non autem aliter, Superior poterit adhibere remedium seruatò confessionis sigillo. Tunc enim Superior ipse dando facultatem, ocurreret ad peccatum subditi volentis confiteri sine sufficienti emendationis proposito; quod quidem debet inter cætera, esse euitandi occasiones, relapsus in peccatum, & inferendi damnum alteri. In quam sententiam Suarez loco citato num. 5. citans Angelum, Sotum & Armillam addit non modo cum superior timer graue detrimentum subditi, sed etiam quando sperat illius maiorem vel æqualem vtilitatem, posse licite negare talem facultatem. Imò & cū sperat vtilitatem minorem, si negare censetur ad aliorum exemplum, communitate; bonum esse necessarium, aut valde conueniens. In eo enim Superior vtetur iure suo preferendi commune bonum incommodo vltus particularis modico: quale est quodammodo coactus, & cū minore deuotione confitebitur. Dico (modico) quia per magnum incommodum, quale esset si confessio sine fructu fieret, cessaret vtilitas subditi, que in hoc casu iustificare debet negationem facultatis.

45. Notandum est quinto; ex debito charitatis Superiorem tanquam dispensatorem fidelem, teneri dare propositam facultatem, quoties graue subditi detrimentum timuerit ex illius negatione, quamuis ipsum sit tantummodo inrenum, id est, non extrinsecus, sed solum ex interno subditi affectu euenturum: vt quia de industria peccatum aliquod tacebit aut confessionem differens, accipiet peccandi licentiam, aliudue eiusmodi. Ita communiter tenent Doctores D. Thomam securi, cuius verba sunt in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 3. in fine responsionis ad 4. quæstionem. Peccaret Sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Vnde illi qui sunt nimis solliciti, vt conscientias subditorum per confessionem sciunt, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsi, Jheoille. Nec refert quod subditus ipse causa sibi sit talis mali: quia & hoc spiritalis pastor impedire tenetur si commode potest. De qua commoditate iudicandum est iuxta sequentia, de quibus Suarez in citata sect. 4. num. 8. & tribus sequentibus.

De eadem delegatione notanda ex parte modi delegandi.

#### SECTIO POSTERIOR.

46. PRimum est, quantumuis speretur aliqua aliorum vtilitas ex dictæ facultatis negatione facta subdito, eam tamen non esse faciendam cum huius detrimento, in cuius bonum institutum est pœnitentiæ sacramentum, atque data Superio-

riori potestas referuandi peccata. Quo fit vt non liceat vti tali negatione tanquam medio ad procurandam aliorum vtilitatem interueniente detrimento subditi; præsertim cum interueniat consequenter iniuria Sacramenti, quando quidem ex huiusmodi negatione fieri potest vt confessio reddatur diffidilis & odiosa. Quod incommodum præponderare cuius alii incommode vel commode; patet ex doctrina de sigillo Sacramentali ante tradita in lib. 3. cap. 2.

47. Sed aduerte aliud esse in hac re, aliorum vtilitatem procurare, & aliud vitare eorum nocentum. Nam quamuis non possit ob illud, ob hoc tamen potest prædicta facultas ei negari, qui apparet animum habere nocendi. Nec obstat quod referuatio in bonum ipsius instituta, sit ei hæc ex parte in malum cessura: quia id imputatur malitiæ ipsius, qui cum teneatur conscientiam suam aperire Superiori suo, qui sibi & aliis prodesse potest, nec nocere vult; recusat tali obligationi satisfacere: in quo peruerso animo persistens, non est dispositus ad absolutionem accipiendam; & per consequens nec ad obtinendam facultatem eligendi Confessarium à quo absoluaatur.

48. Quod attinet ad verecundiam, licet ea de se non sit affectus malus, non est tamen sufficiens causa virgendi Superiorem ad delegandam facultatem absoluedi a referuatis. Ratio est: quia verecundia conditio est intrinseca confessioni: cuius proinde non est impedimentum, sed potius perfectio quædam. Quod si eam verecundiam nimiam esse contingat, ita vt à confitendo reuocet, superanda est adiuuante diuina gratia; nisi forte (vt in *standum menset Nauarr. ad cap. Placuit De Pœnitent. dist. 6. num. 150.*) antea sit, vt Pœnitens vereatur ne se constituat in periculo recidendi aliquod peccatum, vel aliquam circumstantiam de necessitate confitendam.

49. Secundum est moraliter per se loquendo, Superiorem debere se facilius præbere potius quam difficilem in ista facultate concedenda. Minus enim periculi moraliter ac per se loquendo, inest in concedenda quam in neganda. Itaque inquit Suarez loco cit. num. 9. ad concedendam sufficere potest, quod nulla specialis ratio negandi occurrat. Ad negandum vero oportet interuenire aliquam specialem rationem negandi. Quinimo nec Superiore iudicante talem aliquam adesse (nisi nocentum proximi, de quo antea, ad effectum) negari debet in casu, quo idem Superior alicunde cognoscere subditum nullo modo velle se ipsum adire pro confessione: nec posse ad id vlla ratione induci. Nam paternam misericordiam tale quid postulat; quam conuenit Superiorem exercere in subditum; postulat etiam medicinæ ratio, quam referuatio habet: cum absurdum sit medicinam ad nationem ægri institutam, tunc ei applicari, cum non prodesse, sed obesse cognoscitur.

Si obicias induratum infelicitis animum reddere ipsum indispositum ad absolutionem. Respondetur id quidem verum esse, sed fieri posse vt facultate ipsa obtenta, inducatur ad duritiem suam deponendam, dolendum que ac confitendum de ea, sicut de aliis suis culpis, ita vt habeat dispositionem requisitam ad absolutionem. Quod si nollet eum animum deponere, absoluedus non esset, tanquam peruersè recusans satisfacere obligationi, quam habet confitendi proprio Sacerdoti: sicut nec absoluedus esset debitor, qui postquam importunis precibus remissionem debiti à creditore obtinuit, perseverat in proposito peruerso, quod habebat non soluendi, si negata fuisset talis remissio.

50. Tertium est Superiorem non teneti dare subdito generalem facultatem eligendi quemcumque voluerit Confessarium, per quem absoluaatur a referuatis: vel eum committere cuiuscumque specialiter expetito ab eodem subdito. Nam licet Superior cedat iure suo, causam ad se pertinentem committendo alteri: retinet tamen ius eam committendi tantum personæ quæ sit eidem causæ proportionata: quando quidem referuatio ad hoc fit, iuxta Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. vt grauiora quædam crimina subiicerentur iudicio summorum Sacerdotum: tanquam personatum scilicet proportionatarum; à quibus melius corrigi emendatque possent. Si autem electio personæ relinquitur in arbitrio Pœnitentis frequenter erit personæ, quæ Superiori non videbitur proportionata: & ideo, cui non debeat in tali casu absolutio committi. Attamen, vt Suarez quoque addit, non debent Superio-

periores in hoc præbere se difficiles (nisi alia grauis causa occurrat) quando subditi petentes facultatem sunt prudentes & timorati: vel Sacerdos pro quo, aut per quem petunt, reuera idoneus est, cui tale negotium committatur.

Quartum est quod in sequenti sect. §. latius tractat Suarez, facultatem de qua agimus, peti posse vel pro peccatis iam commissis, vel pro nondum commissis, si forte committantur: atque siue hoc, siue illo modo petitam, concedi posse vel absolute, vel cum impositione alicuius oneris: quod esse potest vel præsentandi se Superiori, vel faciendi aliquam penitentiam, que sit medicina, seu remedium conueniens aduersus peccatum ipsum reseruatam.

Atque petenti pro commissis onus præsentandi se imponi alienum est à ratione. Nam si per se petat, satis se præsentat: si per alium, eo modo propterea petat, quod nolit in notitiam Superioris venire. Ad hæc cum pro illo petens nequeat absque crimine violati secreti illum prodere; nec etiam Superior potest licite inquirere quis ille sit, vel circumstantias aliquas interrogare, per quas in notitiam illius deueniat: præsertim cum talis inquisitio sit iniuriosa huic Sacramento, cuius usus reddit difficilem, & odiosum.

Onus vero penitentiae imponi potest: quia conueniens est, vt Superior medetur suorum morbis, quantum iudicat necessarium ad eorum curationem. Vnde potest interrogare culpæ speciem, & peccandi consuetudinem, aliaque circumstantias, quantum sine manifestatione vel suspitione personæ declarari possunt: cum quo periculo, nec ipse interrogare debet, nec alter respondere, propter prædictum est. Potest etiam absque speciali notitia criminis, limitationem confessioni suæ adhibere sub conditione; si crimen tale fuerit, imponatur talis Penitentia. Et quamuis huiusmodi onus imponi possit per modum præcepti, non debet tamen sine magna & extraordinaria causa: sicque vt plurimum imponitur per modum consilij. multo minus vero imponi debet cum tanta seueritate, vt nisi acceptetur absolutio alias data, sit nulla; sed solum imponi per modum cuiusdam ordinationis. Nam poena fori Penitentialis, quæ medicinalis magis est, quam vindicativa, nunquam præscribitur tantâ necessitate adiuncta; quin arbitrio Confessarij relinquatur vt illam moderari possit, iuxta dispositionem, vel alias condiciones Penitentis, quem viderit non esse tantæ poenæ debitorem, aut illam ei non expedire. Quo arbitrio Confessarium priuare cum periculo cõferendi absolutionem inualidam, iniquum est ac imprudentissimum.

Quod autem petenti facultatem pro peccatis reseruatam committendis, possit quoque penitentiae onus imponi, manifestum est. Quæ enim ratio docet posse imponi propter commissum, eadem ostendit imponi posse ob idem, si iterum committatur. Manifestum etiam est imponi posse onus præsentandi se Superiori, ob excommunicationem peccato reseruatæ annexam. Nam talis impositionis usus ex iure habetur. Is enim qui in articulo mortis à censura reseruata absolutus est ab inferiore, præcipitur se cõ primò potest Superiori præsentare; in ca. Eos qui De sentent. excommunic. in 6.

Difficultas autem grauis est, An si peccatum sit sine excommunicatione reseruatam, imponi valeat tale onus. Eam copiosè tractat Suarez in citata sect. num. sexto & deinceps, partem affirmantem tenens nec immerito: cum & tutior sit & valde consentanea rationi, quam in præced. num. 50. ex Concilio Trident. attigimus, inducendæ reseruatis casuum: cum nihil inter sit ad grauitatem peccati emendandam per Superiorem: quod per se, aut quod per excommunicationem ei annexam, sit illi reseruatus.

## CAPVT V.

De commissione potestatis absoluedi à casibus reseruat.

### SVMMARIVM.

53. Facultas quam Papa concedit absoluedi ab omnibus casibus sibi reseruat non comprehendit hæresim.

54. Neque ea quam concedit absoluedi ab omnibus censuris & poenis

Ecclesiasticis comprehendit irregularitatem contrariam ex delicto.

55. Facultatem habens absoluedi à casibus reseruat. Papa, habet simul absoluedi à casibus reseruat. Episcopo.

56. Eius rei ratio.

57. Fundamentum partis negantis, cum illius resutatione.

58. Ille, cui concessa est facultas absoluedi à casibus Papa reseruat, et vi nequit, nisi fiat ipsi confessio Sacramentalis.

59. Absolutio à casibus reseruat. data virtute Iubilæi valet, etiamsi non fiant omnia quæ ad eiusdem Iubilæi consecutionem iniunguntur.

60. Tria quæ obici possunt in contrarium, cum solutionibus eorumdem.

61. Tollitur reseruat. per confessionem factam Superiori, etiam inualidam.

62. Etiamsi confitens causam scienter dederit defectus, nisi hic contigerit circa peccatum ipsum reseruat.

63. Aut nisi facultas absoluedi à reseruat. commissa sit Sacerdoti per modum indulgentiæ concessæ confitentibus.

64. Cum Iubilæum conceditur lucrandum in vna ex duabus hebdomadis: qui in priore illud lucratus est, potest adhuc in posteriore, si que nouum casum reseruat. habeat, absolui ab eo.

65. Episcopus concedens facultatem absoluedi à casibus sibi reseruat non censetur concedere à censuris sibi reseruat.

66. Habens facultatem absoluedi à casibus Episcopo suo reseruat, potest eos qui ad se cum licentia proprii Sacerdotis venerint, absolue- re à casibus Episcopo ipsorum reseruat.

67. Quando generali sua concessione audiendi confessiones, censetur Episcopus concedere facultatem absoluedi à casibus sibi reseruat.

68. Peregrini non possunt à casibus reseruat. absolui sine licentia Episcopi in cuius diocesi consisti volunt, si in ea reseruetur.

69. Si vero non reseruetur, etiam reseruat. sit in propria diocesi, absolui potest à Parocho loci.

70. Cum onere amen præsentandi se proprio Episcopo, si casus sit reseruat. cum excommunicatione.

71. A casibus Papa reseruat. Episcopus non potest per priuilegium Concilij Trident. absolue peregrinum, nisi si a suus in diocesi ipsius pro maiori anni parte morari.

72. Episcopus potest peregrinum ab homine generaliter excommunicatum absolue. & quæ ratione.

73. Religiosi ex priuilegio quod à iure habent audiendi confessiones, non habent absoluedi à casibus Episcopo reseruat.

74. Non potest Episcopus talibus Religiosis plures casus reseruate quam Curati.

**P**RIUS dicemus de Papali, posteriori de Episcopali commissione. De illa occurrit difficultas, an quædo Summus Pontif. per bullas aut Iubilæum concedit facultatē absoluedi ab omnibus peccatis & censuris Ecclesiasticis, etiam reseruat. in bulla Cænæ Domini; id accipiendum sit prout verba sonant, absque vlla restrictione vel exceptione.

Deratione qua intelligenda est Papalis commissio absoluedi à casibus reseruat.

### SECTIO I.

**A**D cuius difficultatis explicationem dicimus, Sotum quidem in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. conclus. quinta (cui consentientes multos doctores Hispanos commemorat Alph. in Vualdo in Candel. aureo cap. de absolutione num. 16.) sentire quod ea verba accipienda sunt sine exceptione: ita vt virtute talis facultatis possit in foro conscientie absolui quiuis criminiosus, etiam hæreticus, dummodo emendatus sit.

Sententiam tamen contrariam (nempe à dicta concessione excipiendam esse absolutionem ab excommunicatione incurta propter hæresim) videri tenendam: non tantum quia est multorum aliorum authorum grauissimorum quos idem à Vualdo & Henric. referunt: ille in seq. nu. 17. & hic in sua summa lib. 6. cap. 16. §. 2. lit. Z. in marg. sed maxime, quia duo Summi Pontifices, vt iidem etiam notant, eam suis responsis approbatint. Pius 5. anno Domini 1572. & Gregor. 13. anno Domini 1577. dicens solum & usum curiæ Romanæ suamque intensionem talem esse vt per bullæ aut Iubilæi clausulam generalem, nunquam censetur concessa absolutio ab hæresi. Videri potest Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 272.

in regulis Confessiorum. Vbi adfert in confirmationem quod idem Pontifices talem facultatem suo etiam summo Penitentiario non concesserint nisi cum certis modificationibus, sine quibus non absoluebat. Vnde cum in generali concessione non veniant quæ quis in speciali non esset verosimiliter concessurus, vt habet regula 81. iuris in 6. teneri non potest quod dicit Sotus generalem facultatem absoluedi ab omnibus peccatis & censuris includere abolutionem ab hæresi. nisi forte sit hæresis omnino occulta, nec alijs damnosa, de qua papam informari nihil videretur necessarium ad Ecclesie edificationem.

Dicimus secundo, non carere quidem probabilitate quod idem Sotus ait in sequen. quæst. 3. art. 1. col. 3. virtute Iubilæi aut Bullarum Summi Pontificis, in quibus fit potestas absoluedi ab omnibus casibus referuatis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, ijs quæ referuntur in bulla cœnæ Domini, dispensari posse cum Penitente in irregularitate nata ex delicto; quoniam & ipsa, est pœna Ecclesiastica: tamen non solum tutius; sed etiam probabilius esse contrarium: hoc est, non posse. Quod in Enchir. cap. 27. num. 250. Nauarr. probat ex eo, quod stylus Ramonæ curiæ habebat, non intelligi datam esse in prædictis Iubilæis aut bullis facultatem dispensandi in irregularitate, nisi id exprimitur: vt interdum fit quidem (& tunc excipitur irregularitas ex bigamia, & ex homicidio voluntario) non tamen in Iubilæo & bullis prædictis. Vnde sequitur, si vera sit Soti sententia, ampliorem à Papa in talibus bullis dari facultatem dispensandi in irregularitate, quam cum se dare exprimit, quod absurdum esse satis constat.

Si quæras quænam igitur sint ille pœnæ Ecclesiasticæ, de quibus præter censuras Ecclesiasticas fit in iisdem bullis mentio. Respondetur, non posse esse omnes Ecclesiasticas indifferenter: alioqui enim per tales bullas posset quis absolui à pœna pecuniaria pro suo peccato imponita, vel imponenda à iudice Ecclesiastico, quod non ita est. Sunt igitur, vt Nauarr. ait, illæ quæ possunt, perinde ac censura, impedire perceptionem abolutionis à peccatis: in quam tanquam in finem illa Papalis concessio dirigitur. Irregularitas autem non est pœna de numero earum quæ impediunt talem perceptionem: cum de se tantum sit inhabilitas ad sacros ordines suscipiendos aut exercendos. Si quæras rursus quænam ergo sint ille pœnæ? Respondet Nauarr. esse potestatem eam, quam confessarius interdum imponit Penitenti, vt intra tantum temporis, nec sacramentalem abolutionem nec sanctam Eucharistiam accipiat: vel qua Penitens aliquo bono sine se adstrinxerit ad abstinendum ab iisdem Sacramentis intra certum tempus: aut qua nonnulli canones Penitentiales statuunt aliquem à communione arcendum intra aliquod tempus; vt Canon Presbyter distinct. 82. & Canon De his verbis 33. quæst. 2.

Dicimus tertio munitos supra dicta potestate, & per consequens Religiosos, quibus à Summo Pontifice commissæ est potestas absoluedi ab omnibus peccatis & censuris Ecclesiasticis, etiam referuatis Sedi Apostolicæ exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini: posse (dummodo tamen approbati sint secundum decretum Concil. Trident. sess. 23. cap. 15. à casibus Episcopo referuatis absoluedi sine eius licentia. Ita Alphonsus à Vivaldo in candel. aureo cap. de abolutione à num. 26. ad 53. vsque, resoluit ponderatis in vtramque partem momentis rationum: quarum tantum præcipuas attingemus.

Pro parte affirmatiua igitur facit, quod Papa habeat omnimodam potestatem in omnes Christi fideles, quoad absolueda crimina, siue commissæ siue committenda, vt nemo Catholicorum negat. Quod idem possit illam potestatem committere, cui voluerit Sacerdoti: quia omnis Ordinarius potest constituit delegatum, vt habet communis opinio, teste Panormit. ad rubricam de officio deleg. maxime autem Papa, qui est Ordinarius Ordinariorum. Iam quando committit potestatem absoluedi ab omnibus casibus sibi referuatis, certis exceptis: committens quod maius est, censetur pariter committere quod est minus: nempe potestatem absoluedi ab omnibus referuatis Episcopo, non contentis prædicta exceptione. Quando enim maius con-

ceditur, minus concessum esse videtur, cap. Ex parte tertio de decimis: vbi ex hoc principio concluditur, Abbati cui concessum erat privilegium percipiendi decimam de laboribus terræ parochiarum suarum; fuisse quoque concessam percipiendi de nonalibus, quia hoc minus est, quam illud. Cui argumentum plane simile est illud, quod colligitur, Papam ex eo quod dederit privilegium absoluedi à casibus sibi referuatis dedisse quoque à referuatis Episcopo: quod idem sine controversia hoc minus est quam illud.

Pro parte verò negatiua facit quod Papa non possit tollere ius diuinum, Episcopi autem concessa sit iure diuino potestas referuandi sibi aliquos casus; quæ potestas tollitur, si virtute bullarum quibus Papa concedit facultatem absoluedi à casibus sibi referuatis, possit quis absoluedi & à referuatis Episcopo absque vlla ipsius licentia. Verum hanc opinionem, vt neque veram, neque fundatam, idem author reiecit, ex eo potissimum, quod Papa iurisdictionem in omnes Christianos, quoad omnia spiritalia, immediate habeat à Deo secundum receptam D. Thomæ sententiam in tract. contra errores Græcorum cap. 32. concl. 33. ideoque nemo alius possit eam illi tollere vel imminuere ex cap. Cuncta per mundum & cap. Per principalem 9. quæst. 3. & per consequens nec Episcopus sua referuatione impedire, quominus ipse vt per se, sic per suum Commissarium possit à quocumque peccato quemcumque Christianum Penitentem absoluedi. Deinde licet concederemus iure diuino datam esse Episcopis potestatem referuandi sibi casus: non ideo tamen cogimur concedere Papam non posse eorumdem casuum abolutionem iusta de causâ alteri committere. Nam vna est omnium conclusio, multa de iure naturali & diuino competentia multis, restringi & limitari à summo Ecclesie Pontifice posse quoad spiritalia: tum per interpretationem interius & æquitate interpositam: tum etiam per factam iusta de causâ dispensationem: prout in sequenti parte tomo primo, suo loco exponendum est, cum de lege dicetur. Neque est quod quis dicat posse quidem papam dare hanc potestatem, sed ita vt Episcopi consensu sit opus ad illius executionem. Nam id dicens consequenter dicat oportet, quod communitè reprehenditur in Glossa ad cap. Omnis vtriusque sexus de Penitent. & remiss. confessos Religiosis habentibus à Papa privilegium audiendi confessiones, teneri suis Parochis iterum confiteri, si absque horum licentia fuerint illis confessi. Adde quod aliquo modo inclinet in hæresim Ioan. de Poliacio damnatam in Extrauag. vas electionis, De hæreticis: quæ fuit, non posse Papam ita dare licentiam audiendi confessiones, vt confessus non teneatur eadem peccata suo Parocho iterum confiteri. Item quod destruat Clement. Dudum, De sepult. & omnia Iubilæa & bullas Pontificis, quibus fit facultas eligendi Confessarios. Immo & generalem Ecclesie consuetudinem, quæ contraria tali opinioni vbi que terrarum seruatur, vt idem author ait, & constat experientia. Ad hæc quantumuis in Ecclesia, Christi autoritate instituti sint Episcopi ad regimen populi, iuxta illud Actorum 20. Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo: nihilominus tamen potestas talis regiminis non datur eis immediate à Deo, sed Dei autoritate à Papa prout ostendimus lib. 1. num. 23. Potestas autem referuandi casus est eius generis, vt pote pertinet ad Christiani populi disciplinam ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. Quare negandum non est quin ita pendeat ab auctoritate Papæ, vt is quantum iudicauerit expedire ad Christiani populi bonam disciplinam, possit illam limitare: sicut quoad loca & personas, ita & quoad peccata: siue sibi ea referuando, siue eorum referuationem ab alio factam, tollendo.

Responsio ad tria dubia que mouentur circa commissionem absoluedi à referuatis factam à Papa.

## SECTIO II.

**D**E Papali commissione abolutionis à referuatis restant tria dubia. Primum est, An ab eo cui data est potestas absoluedi

uendi à casibus Papæ referuatis, possit quis ab iisdem casibus absolui, non factæ confessioni Sacramentali. De quo ex Nauar. in Enchir. cap. 26. num. 31. tutius est dicere, quod absolui non possit, quam contrarium: quia facultas absoluedi à censuris videtur per bullas tribui, vt præludium quoddam necessarium ad absolutionem à peccatis, quam constat non posse dari nisi confessio. Quamquam ex eodem auctore in sequen. num. 32. mortuus cum signis contritionis, sed non consecutus absolutionem Sacramentalem; potest ab excommunicatione post mortem absolui ab eo, qui ipsum in vita extra mortis articulum absoluit, non item ab eo qui in mortis tantum articulo. Vnde sequitur in tali casu, habentem prius dictam potestatem, posse ab excommunicatione absolui sine absolutione à peccatis.

59. Secundum dubium est, An si absolutus à casibus referuatis virtute Iubilæi non impleat eiusdem conditiones, absolutio valeat: ita vt de illis iterum confiteri, minimè teneatur. Ad quod ex Nauar. in Miscell. 93. De oratione: cui Suarez assignatur rom. 4. disput. 31. sect. 4. num. 5. Respondendum est affirmatiuè, hoc est, in tali casu absolutionem valere, neque iterandam esse confessionem: quia is qui semel confitetur legitime peccata sua & absoluitur, nullo iure tenetur illa iterum confiteri: immo nulla lege humana potest absque suo consensu obligari ad idem peccatum bis confitendum. Et verò is de quo dubium hoc proponitur, fuit legitime confessus peccata sua, & legitime ab illis absolutus, vt ex eo patet, quod si talis Pœnitens fecisset omnia ad Iubilæum querendum requisita: vel facta confessione mortem obiisset antequam omnes Iubilæi conditiones impleset, iudicaretur absolutus, etiam quoad referuata: idque non per aliam, quam per prædictam absolutionem. Deinde quod oratio, ieiunium & elemosyna, quæ ad consequitionem Iubilæi, Pontifex requirit, si- cut confessionem & absolutionem à peccatis: valeant facta etiam non lucrato Iubilæo. Vnde consequens est confessionem quoque & absolutionem referuatorum, valere eodem non obstituto.

60. Tria autem sunt quæ oblici possunt in contrarium. Primum est, quod nulla indulgentia, nec pars eius quæ ratu- allicui antequam faciat omnia quæ requiruntur ad eam acquirendam, etiam si bonam eius partem fecerit: vt idem Nauar. probat in comment. de indulgent. notab. decimonono in principio. Secundum est, quod intentio Papæ videatur esse, vt Confessarius absoluat à referuatis sub conditione si Pœnitens fecerit requisita ad querendum Iubilæum. Tertium est, quod aliqui darentur occasio fraudis qua quis velit virtute Iubilæi absolui ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ referuatis, nihil curando de Iubilæo acquirendo.

Ad quorum primum, responsio eiusdem Nauarri est in memorato Miscellan. aliud quid esse indulgentiam querendam, de qua proponitur argumentum: & aliud confessionem legitimam, quæ est quoddam præambulum requisitum ad eiusmodi acquisitionem.

Ad secundum, non esse eam intentionem Papæ, cum nihil tale habeatur ex ipsius bulla, per quam fit absolute potestas absoluedi. Immo nec esse potuisse, quandoquidem Confessarius peccat, Sacramentaliter absoluedus sub conditione rei futuræ, prout habitum est in præced. cap. 1. num. 6.

Ad tertium, nos loqui de illo, qui verè contritus cum firmo proposito acquirendi Iubilæum, faciendique omnia ad id requisita, legitime confitetur. Eum verò qui dicta fraude vteretur non esse verè contritum, nec legitime confiteri: siquidem scièter taceret peccatum illud admissum per eam intentionem fraudandi: vnde mutilam adeoque inuolidam faceret confessionem: ita vt neque à referuatis, neque à non referuatis absolueretur, sed nouo peccato contaminaretur: eoque mortali ob notabilem in eo commissam Dei irreuerentiam.

Tertium dubium est, An is qui valenti absoluedus à referuatis: confessus est, sine sufficienti contritione, aut sine sufficienti conscientie examine, satisfecerit obligationi quam habet præsentandi se Superiori, pro absolutione suorum referuatorum; desinatque referuatio eorumdem. Cau-

sa autem dubitandi est, quod talis confessio sit sine effectu suo remissionis peccatorum.

Resolutio verò Caietani in verbo Casus, plurimumque aliorum, quorum meminit Henriquez in sua summa lib. 6. cap. 16. §. 5. littera B, C, est semel absolutum à referuatis etiam si inefficaciter ad salutem animæ suæ, si de nouo de iisdem referuatis confiteatur, absolui posse à Sacerdote qui posset ab illis absolue si referuati non essent. Ratio est: quia ex quo beneficium absolutionis in foro Ecclesiæ concessum est, & executioni mandatum à legitimo Superiore, rationale est vt peccatum super quo concessum est, non sit amplius referuatum, tanquam iudicatum ante Tribunal cui referuatum erat. Siquidem subditus comparuit coram Superiore, eique, vt supponimus, integrè aperuit peccatum suum referuatum cum proposito non recidendi in illud. Superior verò ostendit se contentum, imponendò ei conuenientem medicinam & satisfactionem. Vnde videtur satis factum esse fini referuatis, atque adeo referuationem ipsam ablatam esse, & penitentem ab illius onere liberatum esse.

Quod procedit, vt Suarez tomo 4. disput. 31. sect. 4. numero 9. notat, non tantum quando Pœnitens ignoranter causam dedit defectui, ob quem absolutio non est sortita suum effectum conferendi gratiam in remissionem peccatorum: sed etiam quando scitenter, siue non habendo firmum propositum emendationis, siue non confitendo integrè sua peccata. Excipe, nisi hoc contingeret circa peccatum ipsam referuatum: de quo confitens sine proposito emendandi se de illo: aut sine integra illius declaratione, non censetur satisfacere intentioni Superioris referuatis, nec sufficienter coram illo comparere pro remedio adhibendo aduersus tale peccatum, iuxta referuationis finem: proindeque non satisfacere obligationi id agendi, quod requiritur ex parte ipsius, vt à referuatis onere liberetur. Secus est verò, si defectus circa alia peccata contingat: quia is accidentarius est referuati, quæ solet esse peccati secundum se, non autem peccati in ordine ad alia peccata; vnde ab his illa non pender: & maxime, cum voluntas perseuerandi in eis, possit esse cum voluntate euitandi peccatum referuatum; itemque aliquo aut pluribus eorum in confessione celatis, peccatum ipsam referuatum possit integrè declarari.

Sed aduerte quod etiam notat Suarez in seq. num. 22. ista diuersam rationem non habere locum, quando absolutio à referuatis datur per modum indulgentiæ concessæ confitentibus, vt solet in Iubilæis: tunc enim de intentione concedentis requiritur confessio valida, nec sufficit inualida: per quam referuatio non desinit, quia non satisficit intentioni Superioris.

Circa quod pro praxi aduerte obiter, quod habet Henriquez in cit. cap. 16. §. 3. quando Iubilæum datur vna ex duabus hebdomadis lucrandum, si quis illo lucrato, intra primæ hebdomadæ tempus, reincidat in nouum casum referuatum, posse adhuc illud in secunda hebdomada lucrari, & ab illo referuato sufficienter absolui: quia priuilegium interpretatione ampliandum est, non restringendum; respectu priuilegiati, cuius est fauor.

De Episcopali commissione potestatis absoluedi à casibus referuatis

### SECTIO III.

**D**E hac difficultas est: quando censendus sit Episcopus fecisse alicui potestatem absoluedi à casibus sibi referuatis? Cui satisficit ex parte per illa quæ docet Nauar. in Enchir. cap. 27. §. De casibus referuatis num. 255.

Primum est, Episcopum concedendo facultatem absoluedi à casibus sibi referuatis, non concedere absoluedi à censuris sibi referuatis; sicut Papa concedere censuram circa suos casus. Cuius discriminis ratio est, quod vix datur casus Papæ referuatus, cui non sit annexa censura: multi verò dantur referuati Episcopo non habentes annexam censuram. Vnde secundum communem loquendi consuetudinem, qua attendi debet iuxta cap. Ex litteris, de sponsalibus, per casus Episcopi, intelliguntur tantum peccata ei referuata.

Secundum est, Patrochum habentem facultatem absoluedi à casibus Episcopo suo referuatis, posse Pœnitentem alterius Episcopatus, habentem iustam licentiam ei confite-

61. Et absoluerè a casibus reservatis Episcopo illius alterius Episcopi parus, ex tacta eiusdem Episcopi licentia. Cuius licentia testis est ex eod. Navarr. consuetudo illa, qua legitimus Confessarius habens prædictam facultatem, nunquam remittit Penitentem ad Episcopum suum pro casu ei reservato. Vide sequentem numerum 69.

62. Tertium est, Episcopum concedendo alicui omnem suam facultatem, & omnem suam auctoritatem ad audiendas confessiones & ad absoluendum auditos, non videri eo ipso concedere casus sibi reservatos: nisi dicat: excepto tali casu reservato: quia exceptio regulam in contrarium tunc firmaret: vel nisi appareat intentionem illius fuisse concedere casus reservatos, concedendo omnem suam facultatem. A hæc enim regula si iuris in 6. locum habet: nempe In generali concessione non venire quæ quis non esset verisimiliter concessurus. Quæ ratione ex cap. finali: De officio Vicarij eodem libro, Officialis Episcopi seu Vicarius generalis, non potest ex commissione generali ipsi facta, conferre beneficia. Hæc sunt quæ docet Navarrus. Quibus ad exhauriendam huius rei distiulationem addenda sunt alia, præferim ex Soto.

63. Quartum igitur sit, de quo idem Sotus in 4. disti. 18. quest. 4. art. 2. col. 10. & 11. Quamvis legitimus Confessarius possit peregrinos absoluerè a peccatis vbiunque commissis (quod ex Panorm. Navarrus habet loco cit.) amen quia subdantur legibus diocesis cui applicuerunt, dum habent casum ibidem reservatum Episcopo, non posse abique eiusdem licentia absolui: quod maiore ratione dicendum est de habentibus in vtraque diocesi reservatum: nempe absolui non possunt nisi de licentia Episcopi diocesis, in qua absolui volunt. Item cum Soto sentientes plures refert Henric. in summa sua, lib. 6. cap. 14. §. 3. lit. Q.

64. Addens citatis quoque auctoribus lit. R. quod si casus reservatus in diocesi peregrini, non sit reservatus in alia in qua vult confiteri, ipsum posse absolui à Parocho loci vbi tunc est. In confirmationem verò adfert tacitam proprii Episcopi rationem de præsentibus, cuius testis est consuetudo & Doctorum consensus: in eo fundatus, quod contentaneum sit vti proprius Episcopus subdito, cui ob distantiam lubuere non potest, velit subueniri per alios vbi est, & de ijs quorum reus est in penitentiali foro iudicari secundum leges & consuetudinem loci in quo est.

65. Addit quoque in margine litera Q; si talis habeat casum reservatum cum excommunicatione, ei imponendum esse onus præsentandi se suo Episcopo. Id enim conductum ad confirmationem Ecclesiasticæ discipline, ad quam excommunicatio spectat: vnde dicta est gladius Ecclesiasticæ discipline.

66. Addit denique in eodem §. 8. differentiam in hac re, inter peregrinum breui tempore alicubi morantem, & peregrinum morantem pro maiori anni parte, vt solent scholastici in A cademijs: quod ille non possit modo iam dicto absolui ab illis casibus Papæ reservatis, à quibus Episcopus non potest aliter absoluerè, quam nouo iure Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. Ille verò ab eis quoque absolui possit. Cuius differentia ratio est, quod talis potestas Episcopo concedatur tantum pro sibi subditis in sua diocesi, quales non censentur qui breui tantum tempore in ea morantur.

67. Quintum est, de quo idem Sotus in sequent. disti. 22. quest. 2. art. 3. dubio ante 3. conclus. Etiam si casus sit reservatus cum excommunicatione ab homine (modo ea sit generalis, vt est lata in quemcumque facientem furtum) Episcopum loci ad quem excommunicatus peruenit, vel illius Vicarium posse taliter irritum absoluerè: perinde ac eiusdem proprius Episcopus potest, dum modo satisfaciatur parti læsæ, & penæ impositæ a iure vel à Iudice nec lis fuerit contestata in tribunali proprii Iudicis, quia tunc per eum aut per Summum Pontificem, vel alium superiorem eiusdem Iudicis debet determinari.

68. Postremum est, quod ab hoc Sotus ipse habet in prius citata quest. 4. art. 3. col. 7. Quamvis Sylueter & Gabriel inserunt Religiosos, per Clement. Dudum De sepul: privilegiatos ad audiendas confessiones, & semel ab Episcopo approbatos, posse à casibus ipsi Episcopo reservatis absoluerè, abque i-

psius licentia: tamen eorum sententiam nec tutam, nec receptam esse, quoniam expressè habetur in eadem Clementina. Per huiusmodi concessionem nequaquam intendimus ampliorem potestatem fratribus impendere, quam est Curatis & Parochialibus Sacerdotibus à iure concessa; nisi forte eis Ecclesiarum Prælati vberiores in hac parte gratiam specialiter ducere ut faciendam. Ex quibus verbis patet Religiosos virtute dicti privilegij, non posse absque speciali gratia Episcopi, absoluerè a casibus ei reservatis, magis quam simplices Curatos. Quod confirmatur ex Clement. Religiosi, De privileg. vbi excommunicantur Religiosi, si tentauerint absoluerè a casibus reservatis Apostolicæ sedi, vel locorum Ordinariis.

74. Quamquam tamen, inquit Sotus, si Episcopus vellet plures casus reservare Religiosis, quam Curatis, censeretur id facere in fraudem & in odium ipsorum: quæ fraus tam aperta esse posset, vt illi parendum non esset: cum per prædictam Extrauagan. Summus Pontifex & generale Concilium Viennense, in quo illa fuit edita, pares Curatis faciat ipsos in hac materia; neque possit Episcopus Papæ & generalis Concilij decretis derogare. Idem post Sotum alius citatis annotat Suarez tomo 4. disputatione 30. sect. 2. numero 16.

## CAPVT VI.

## De executione potestatis absoluendi à casibus reservatis.

## SUMMARIUM.

- 75 Superior auditus in confessione peccati tam reservatis, quam non reservatis, non potest ab iis solis absoluerè, & pro absolutione horum ad inferiorem remittere.
- 76 Nec potest, auditis solis reservatis habentem alia mortalia sacramentaliter absoluerè, nisi grauis necessitas id exigat.
- 77 Superior cui onerosum est audire totam confessionem subditi habentis casum reservatum, non debet eum sacramentaliter absoluerè, sed ei qui totam confessionem audiat, illam committere.
- 78 Raro licere potest Superiori, vt auditis solis reservatis, absoluat habentem alia mortalia.
- 79 Sine licentia Superioris nequit inferior à reservatis absoluerè directè.
- 80 Nec etiam indirectè (ne quidem cum onore præsentandi se Superiori) nisi iusta causa interuenierit.
- 81 Quo modo ex bona fide Penitentis valida esse possit absolutio, habens casum reservatum data ab Inferiori sine licentia Superioris.
- 82 Ex hac pari bona fide, valide absolui potest à simplici Sacerdote is qui probabiliter putans se habere tantum venialia, habet etiam mortalia.
- 83 In articulo mortis quibet Sacerdos quemlibet directè absoluerè potest à quibuslibet peccatis.
- 84 Episcopi potestas absoluendi à casibus Papæ reservatis, qualis sit.
- 85 Ob urgentem necessitatem vitandi probabile mortis periculum, aut graue scandalum, licere potest Inferiori, debite dispositum absoluerè, etiam si habeat casum aliquem reservatum.
- 86 Negantes id procedere cum reservatio fuerit ratione censuræ.
- 87 Quatenus teneri possit contrarium.
- 88 Absolutus à reservatis per eum cui ad id facta est commissio à Superiore, non tenetur se huic postea præsentare, nisi committendo ipse imposuisset tale onus.
- 89 Quid agendum habenti casum reservatum cum Superior adiri potest.
- 90 Si Superior auditis solis reservatis remittat ad Inferiorem pro cæteris audiendis, probabile est eidem Inferiori adhuc aperienda esse ipsa reservata.

**D**E hac executione dicemus: tum respectu Superioris cui facta est reservatio: tum respectu Inferioris cui committitur absolutio à reservatis. Atque id, propositis documentis pro praxi quibus intelligatur modus quo siue ab hoc siue ab illo perficienda est. Diuersa vero quæ diuersi diuersè sentiunt omittimus. De quibus videri potest

Suarez tomo 4. disput. 31.  
sect. 1 & 2.



dos ideo possit absolueri subditū a casib. referuatis Superiori, quia potest a non referuatis, quib. per Sacramentum sublati, consequenter tolluntur referuati: dici pariter possit, simplicem Sacerdotem posse absolueri a mortalibus, quia potest a venialibus: quandoquidem his quoque sublati per Sacramentum quo diuina gratia confertur: illa etiam, quae cum eadem gratia consistere nequeunt, consequenter auferri necesse est. Contra communem autem Ecclesiae usum est, vt simplices Sacerdotes nulla necessitate urgente, confessiones habentium peccata mortalia, audiant, sine proprii p[ro]p[ri]i facultate; ne quidem sub hoc onere, quod ei te postea offerant. Cum alioqui sub eo p[ro]p[ri]o p[ro]p[ri]i in quibus Sacerdos quibusuis audiendis se licite offerret; quod absurdum est, & ab Ecclesiastica disciplina aenum: & querimoniarum ac discordiarum seminariū.

Tertium documentum est; ante dicto modo datam absolutionem non esse ita illicitam, quin valida esse possit, si Pœnitens bona fide agat, nec obicem ponat gratiæ Sacramentali. Quam esse communem sententiam post Nauar. habet Suarez tom. 4. disput. 31. sect. 2. num. 6. Probatu verò quia nullum validitatis impedimentum tunc esse potest, quā ex parte ministri non habentis iurisdictionem in omnia peccata mortalia, quibus se Pœnitens contaminauit. Ar illud non est sufficiens, vt patet ex eo, quod omnium consensu valida sit confessio facta inferiori carenti iurisdictione in referuata, quando illam faciens habet quidem talia, hoc est, referuata: sed eorum nullo modo recordatur; aut si recordetur, confitetur de illis tanquam de non referuatis: plane ignoras referuata esse: cuiusmodi ignorantia sicut & obliuio excusabilem reddit dimidiationem seu truncationem materialis confessionis.

Vbi aduertit: quod etsi Pœnitens cum per ignorantiam confitetur de referuatis tanquam non referuatis, dicat omnia peccata sua coram Sacerdote: non omnium tamen facere confessionem Sacramentalem; sed tantummodo illorum quae non sunt ei referuata, subsuntque ipsius iurisdictioni, per quam possit ab illis directè absolueri. Vnde fit; vt referuatorum expressio in confessione, non magis impediatur eam esse materialiter mutilam, quam ipsorum obliuio: ideoque de illa, perinde ac de mutila ex obliuione dici possit: quod si rationabilis causa excuset; nihil esse quod impediatur valorem absolutionis super illam datæ quae quidem directè cadet tantum in peccata non referuata absoluenti: in referuata verò tantum indirectè: seu quod cum repugnet diuinæ gratiæ: hac beneficio Sacramentalis absolutionis adueniente, illa eliminatur ab anima.

Sed obicit potest, si hæc ita sint, dici quoque posse confidentem bona fide simplicem Sacerdoti de venialibus, si obliuiscatur mortalium aut existimet venialia esse tantum, quae sunt mortalia, absolui validè. Cui obiectioni consequenter Suarez ita occurrit, vt concedat id probabile esse: quia licet Sacerdos simplex non habeat iurisdictionem sufficientem ad iudicandum per se de mortalibus: habet tamen sufficientem ad perficiendum Pœnitentiæ Sacramentum: quod cum vim habeat sanctificandi hominem, habet etiam peccatum mortale, si in illo inueniatur, expellere ad faciendum ex inimico Dei amicum.

Quartum documentum est: in articulo aut probabili periculo mortis posse quemlibet Sacerdotem a quibusuis casibus referuatis directè absolueri quemlibet Pœnitentem. Hoc habetur ex Conc. Trid. sess. 14. c. 7. Ad cuius intelligentiam videnda sunt tradita in præced. lib. 1. c. 7. n. 58. & aliquot sequent.

Quintum est; Episcopum posse directè absolueri a casibus referuatis Papæ, cum hic adiri non potest, vel cum casus sint occulti, nec ad forum externum deducti. Hoc patet ex potestate eidem Episcopo concessa a iure ad absoluendum a talibus casibus: de qua diximus li. 1. n. 135. & 136. vbi monimus illam quoad forum internum extendi etiam ad casus in bulla Cœnæ Domini referuatos. Quod ipsum asserit Henricus in sua summa l. 6. c. 14. §. 7. ex eo inferit, quod si quis in talē casum incurrerit & morbo detentus vel inclusus ne queat adire Episcopum ipsum: hunc auditā causā & personæ qualitate cognitā, posse illum abentem, ab excommunicatione, non item a peccato, absolueri: & ita liberare a referuatione: aut certe

pleniorē causā cognitionem committere prudenti viro ad id specialiter delegato. Dico (specialiter) quia is est modus à Concil. Trid. præscriptus, cum in sess. 24. ca. 6. absolutionem a casibus Papalibus occultis nec deductis ad forum externum committit Episcopo. Qua de causā peregrinus ab Episcopo loci, in quo peregrinatur, non potest a talibus absolui: quia non est ad id specialiter deputatus per proprium Episcopum eiusdem peregrini; sicut opus esset iuxta Concil. Trid. quod talem absolutionem committit proprio Episcopo vel alteri quem ipse ad id specialiter deputauerit. Quod tamen aduertit, vt iam alias attingimus, intelligendum esse de peregrino, qui ad breue solum tempus vult morari in aliena diocesi: quia ille qui pro maiori aini parte morari statuit, eadem ratione absolui potest quae ceteri de diocesi: quod etiam tangit Henricus in seg. 5. 8. Et probatur quia per tale quasi domicilium, peregrinus fit in foro penitentiāli subditus pastori eiusdem loci, iuxta dicta in præced. lib. 1. cap. septimo in fine.

Sextum documentum est: extra mortis probabile periculum; si Pœnitentem urgeat necessitas vitandi infamiam allicuius criminis, de quo suspectus est, aut grauis scandali, nec adiri possit Superior: posse de illius tacita licentiā ab inferiori absolui, imposito onere illum postea ad eundem pro referuatis: aut si adiri possit quidem, sed periculosum sit, crimen ei detegere, aut malitiosè recusar committere facultatem alteri idoneo; tunc similiter absolui posse ex tacita commissione Papæ, qui censetur ipso iure concedere iniuste negatam licentiā, præsertim urgente necessitate: quae (vt habet 4. regulā iuris. Extra) facit licitum, quod est iure illicitum.

Quamquam istud aliqui ita restringunt, vt dicant neque tunc absolutionem a peccatis dandam esse; si casus sit referuatus ratione censurae annexæ: quia graue alloqui sacrilegium committeretur. Id quod Nauar. approbans ad cap. Consideret. De penitentia, distinct. 5. §. Cautus numer. 23. & in Enchir. cap. 26. num. 7. inde probat: quod excommunicatio excludat a diuinis, & maxime a perceptione Sacramentorum per cap. Si celebrat De Clerico excommunicat. ministrante. Attamen Angelus confessio 3. nu. 10. putat contrarium probabile esse; si Pœnitens non fuit in mora penitenti absolutionem: vel fuit quidem, sed verosimiliter apparet, quod non erit amplius. Quam sententiam vt non tam tutam quam benignam reicit Rosella Confessor 1. nu. 10. soluens rationes quae pro ea adduntur: & addens oppositum Theologorum, Canonistarum, & Summistarum, ferè omnium esse; generalemque consuetudinem habere, vt excommunicatio non tantum impendatur absolutio a peccatis, quam is sit a vinculo communicationis solutus.

Ceterum puritatem non esse repudiandum illud quod Scholastes eiusdem Angeli admonet; videndum esse in hac re quid saluti contentis expediat; ideoque si casus occurrat, in quo non obstante excommunicatione, ipsum, vt facientem quidquid in se est, absolui a peccatis videatur necessarium: vt exempli gratia quia non potest probabiliter existimare se contritionem habere perfectam, qua sacrosanctam Eucharistiam sumpturo, ad vitandum ex hypothesi scandalum, necessarium ei est: Si inquam occurrat talis casus, absolui posse absque peccato; accepta tamen promissione eiusdem contentis, quod cum primum poterit Superiorem adibit vel commissarium eius a quo absoluetur a referuatis. Ratio, quae mouet me, præter Angeli non contemnendam auctoritatem, est; quod excommunicatio de se non faciat hominem ita incapacem absolutionis a peccatis, vt hanc reddat nullam: vt patet ex dictis in præced. l. 6. c. vltimo sect. vltima propo. 3. 4. & 5. Nec item facit vt intrinsecè malum sit absolutionem a peccatis excommunicato impendere: quasi nulla prorsus de causa, id possit licite fieri: maxime cum non sit consentaneum Ecclesiam quando excommunicationem imponit, agere tanta seueritate cum filiis vt quantumcumque faciant quidquid in ipsis est, velit nihilominus eis negare, quod est eis ad salutem necessarium.

Septimum documentum est, absolutum a casu referuato, per eum qui accepit ad id facultatem a Superiore, non teneri se huic præsentare, nisi illam commisserit sub eiusmodi onere (quod fieri non solet, etiam si possit, vt notat Hen-

riquez lib. 6. cap. 15. §. 2. & per consequens non reincident in eandem excommunicationem: sicut is, qui ab excommunicatione reservatus absolutus est & in articulo mortis reincident; per cap. Eos qui de sentent. excommunic. in 6. Quod documentum habet locum in eo qui tempore Iubilæi absolutus est absque fraude; etiam si omittat postea implere quæ deerant pro consequenda indulgentia: nam in Iubilæo non datur Confessio facultas absolventi ad reincidentium. De qua re idem Henriquez in sequen. cap. 16. §. 6.

89. Octavum documentum est, si Prælatum cui casus reservatur sit præfens in urbe, reus per se vel per alium debet priusquam Inferiori confiteatur, illam adire ea intentione, ut integre confiteatur illi omnia sua peccata, tam reservata quam non reservata. Hoc habet idem Henriquez in cit. cap. 15. §. 4. auctoribus commemoratis in marg. lit. P. & Q. additaque ratione; quod ordo ille procedendi aptior sit, & quasi regia via. ut primum a deatur Superior, qui per se absolvat; vel alteri absolutionem committat; quodque intentio integre confitendi, quantum commoditas datur, necessaria sit ex Christi institutione, de qua Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Quod si non expediat ipsum scire criminis reservati reum; interponi commode poterit Confessarius qui petat licentiam absolventi aliquem suum Pœnitentem ab aliquo casu reservato. Id quod non gravat, sed facile concedendum est docto & probato Confessario petenti.

90. Quod si Superior causans occupationem; totam confessionem audire (quod magis deceret) nollet, sed sola reservata audire & ab eis absolvere, proque absolutione à non reservatis remittere ad inferiorem: sic remissum non teneri confiteri huic de reservatis: etsi potest ex eo deduci, quod sic data absolutio Sacramentalis sit & valida iuxta ante traditum tertium documentum; tenetque Suarez tom. 4. disput. 31. sect. 1. num. 10. attamen quia plurimi ac nobilissimi auctores (quorum meminit Henriquez in eodem libro cap. 15. §. 5. in marg. lit. D.) sentiunt tunc quoque reservata cum non reservatis esse confitenda: quod consulendum est in praxi tanquam tutum, nec adeo grave de se, quin leve fiat commutatione timoris æternæ damnationis, in spem æternæ salutis.

## CAPVT SEPTIMVM.

De effectu sequente executionem absolutionis à casibus reservatis.

## SVMARIVM.

- 91 Peccatum reservatum, de quo iam facta est sufficienter confessio, non impedit quin si hoc iteretur simplex etiam Sacerdos possit absolute Sacramentaliter.
- 92 Reservatio potest per Superiorem tolli sine Sacramentali confessione.
- 93 Quod cum sit, non quivis Sacerdos absolvere potest, sed tantum is qui in Pœnitentem habuerit iurisdictionem ordinariam delegatam.
- 94 Delegatam tantummodo habens potestatem absolventi à reservatis, eam exequi nequit, non audita Sacramentali confessione Pœnitentis.
- 95 Non tollitur reservatio nisi Superior voluerit, etiam si velle debuerit.
- 96 Quomodo reservatio tollatur, dum habenti iurisdictionem sufficientem ad eam tollendam sit confessio Sacramentalis.
- 97 Obiectio cum solutione.
- 98 Prædictum modum habere locum non solum quando iurisdictione fuerit ordinaria, sed etiam quando delegata.
- 99 Habere item locum in confessionibus ordinariis.
- 100 Extendi ad reservationem oblitam in prædicta confessione.
- 101 Cum plures sunt eiusdem peccati reservationes, quomodo tollantur.
- 102 Et quomodo si fuerint excommunicationibus annexæ.

91. **D**Quæ autem pro praxi sufficienter complectemur aliquot documentis. Primum est: quando habens casus reservatos absolutus est ab eis per Superiorem, vel alium cui Superior concesserit sufficientem ad id facultatem, posse postea ab eisdem absolvi per inferiorem, cui confessionem illorum repetere placuerit. Ratio est, quia ut à venialibus, sic à quibusvis mortalibus, de quibus iam facta est legitimè confes-

sio, absolvi potest simplex etiam Sacerdos, iuxta antedicta lib. 1. num. 65.

Secundum est, Superiorem qui iurisdictionem habet ordinariam, posse non tantum per absolutionem Sacramentalem tollere peccati reservationem, sed etiam absque illa: adeoque peccati culpa non ablata; ut quando in casibus occultis Pape reservatis Episcopus absolutionem dat tantum ab excommunicatione: aut quando aliqua alia ratione voluntatem habet expressam vel tacitam auferendi reservationem sine Sacramentali absolutione: ut v. g. tantummodo addidendo peccatum reservatum & imponendo satisfactionem necessariam, dandoque monita salutis, reliqua Inferiori committendo.

De quo Inferiore obiter advertit, talem debere esse qui in cuiusmodi Pœnitentem iurisdictionem habeat ordinariam vel delegatam: id est, qui pastor sit ipsius proprius, vel ab eodem delegatus. Ratio est, quia per eum modum auferendi reservationem, peccatum non supponitur clauibus, ideoque adhuc est materia necessaria confessionis, perinde ac cætera peccata mortalia; à quibus nemo absolute potest nisi in Pœnitentem habeat iurisdictionem ordinariam aut delegatam, ut expressum est in Concil. Trident. sess. 14. cap. 7.

Adverte etiam, eum qui iurisdictionem habet tantum delegatam circa reservata; non posse reservationem auferere modo prædicto: quo scilicet ea auferitur ut ad alium pro habenda Sacramentali absolutione remittatur. Nam non est quid tale concessum delegato ad audiendas confessiones: re potest qui subdelegare nequit eam delegationem, per quam tantummodo est electa ipsius industria, non autem ei commissa pastoralis cura.

Tertium est: quantumvis subditus legitimè confessus sit suo Superiori; si hic nec velit ipsum absolvi, nec causam alteri committere, non inde tolli reservationem. Hoc Suarez in cit. sect. 4. num. 7. probat; quia in eo Superior vult iure suo, quando iustam causam habet: ut si subditus non sit dispositus ad absolutionem, quia recusat satisfactionem, vel non ostendit firmum emendationis propositum: vel si absolutio differatur, quia Pœnitens nondum facit quod in ipso est, quodque ab ipso exigi potest. Cum vero non habet causam iustam etiam si peccet negando malitiosè absolutionem, aut illius commissionem, reservatio adhuc manet: quia debet auferri per eius voluntatem, que quandiu non habetur, propterea nihil efficitur, quod talis ablatio requirat iurisdictionis vim à quo ille vult tam per se quam per alium abstinere omnino. Itaque in tali casu, addit Suarez, recurrere oportet ad alium, Superiorem ipso. Quod si fieri nequeat, poterit quis reservatis antedictis num. 8. Inferiori confiteri, ut à non reservatis directè absolvat, & à reservatis indirectè, donec ac ipso Superiore maior facultas obtineatur.

Quartum est: quando Superiori vel alteri habenti ab eo iurisdictionem sufficientem confessio à Pœnitente specialiter fit ad finem exonerandi omnino conscientiam suam, & consequendi absolutionem à peccatis, si qua forte habeat, reservatis: atque eam suam intentionem manifestat tali Confessario, cui & bona fide dicit omnia peccata sua, quæ potuit in memoriam reuocare: tunc per absolutionem Sacramentalem sic acceptam liberari à reservatione casus quem forte habuit & per oblivionem tacuit. Hoc Suarez tractat diffusius in eadem sect. 4. à num. 12. Et commemoratis auctoribus ita tenentibus, pro fundamento adfert, quod absolventis intentio siue expressa siue tacita, sit per suam absolutionem liberare quantum potest Pœnitentem ab onere peccatorum peccatorum. Quæ intentio in tali casu ex eo sufficienter colligitur, quod ipse sciens subditum accedere ad ipsum eo animo, ut quoad fieri potest liberetur ab onere peccatorum suorum, videntque illum bona fide confiteri, quæcumque in memoria reuocare potuit, illud absoluit satisfactione imposita. Per id enim satis indicat quod velit quantum potest eum relinquere liberum. Unde cum possit tollere vinculum reservationis, dubitandum non est, quin illud quoque velit tollere præsertim cum pastorale munus ab ipso exigat, ut subdito faciente quod in se est, & quantum moraliter potest, conscientiam suam ei periente, & admittente quam impossibile sit satisfactio-

nem, debeat tali manifestatione contentus esse pro omnibus peccatis ad illud vsque tempus ab eo commissis: ita vt veliteum manere liberum ab onere per reservationem imposito se presentandi ipsi pro consequenda abolutione ab aliquo illorum.

Si obijcias illam manifestationem non impedire quin peccatum oblitum debeat clauibus subici quoad culpam: de eo enim quando in memoriam venerit, confitendum est: ergo nec quod subici debeat quoad reservationem. Respondetur negando consequentiam: quia vt peccata cenentur quoad culpam sufficienter supposita esse clauibus, debent per peccatoris confessionem manifestari Sacerdoti eadem clauis habenti: nec enim aliter Sacramentalis absolutio eis directè applicatur, vt constat ex necessitate confessionis ad eam impendendam. Vt verò cenentur supposita sufficienter quoad reservationem ( *etiamsi hac sit cum censura* ) sufficit ita satis factum esse Superiori à Penitente, vt ille ostendat se contentum esse de eo quoad obligationem, quam habere potest comparendi coram ipso, pro remedio adhibendo peccatis quibus animam habet contaminatam.

Ceterum procedit istud, vt Suarez quoque ibidem num. 17. notat: non tantum quando Superior iurisdictionem ordinariam habens absoluerit; sed etiam quando ab ipso delegatus: cui censetur vices suas commississe ad absolueudum Penitentem eo modo, quod ipsius dispositio & intentio exegerit. Quo fit vt de ordinario, sic & de ipsius delegato concedi possit; quod dum ex obliuione peccatum referuatum non manifestatur, is ita absoluat Penitentem facientem quod in se est, vt ab onere reservationis ipsum liberet sicut Ordinarius ipse liberaret. Neque obstat quod delegatus non possit subdelegare suam iurisdictionem: quoniam reservationem tollere non est iurisdictionem suam alteri committere, sed solummodo auferre impedimentum, quo remoto tale peccatum relinquatur sub communi lege aliorum mortalium: nempe vt ab eo possit ille absolueri, qui communem habere iurisdictionem in propositum Penitentem. Neque etiam refert quod delegatus nihil possit in referuatis sine Sacramentali abolutione: quia non est necesse simpliciter vt ea directè sit à referuatis; nisi facultas restricta esset ea conditione. Nam data simpliciter vt solet in Iubilais interpretanda est; iuxta Sacramenti Penitentiae institutionem, requirentem quidem per se loquendo, vt peccatorum omnium confessio vni & eidem fiat: per accidens tamen si per obliuionem aut ob aliquam iustam causam, aliquod omisum sit; permittentem de eo confiteri alteri.

Quod autem idem Suarez in sequenti numero 18. vult documentum propositum non procedere in confessionibus ordinariis, quasi in eis sine vlla cogitatione casum referuatum, & inferior confiteatur, & superior det abolutionem: non pato necessariò tenendum in praxi, quæ ordinariè habet, vt Peccator si non distinctè, saltem confusè, de reservatione cogitet, eo animo confitens, vt per Sacerdotis abolutionem quantum fieri potest, liberetur ab omni vinculo suorum peccatorum: eademque intentione Confessarius cum illo procedat, vt iudicio est absolutio à censuris, quæ solet Sacramentali abolutioni præmittere, non qualitercumque sed quantum potest, & confessus indiget vt indicat forma absolueudi proposita à nobis in precedenti numero 18. quam à plerisque vsurpari, ipse Suarez non improbat. Deinde tam excommunicatio referuata, quam non referuata impedimentum est abolutionis Sacramentalis. Ergo cum ad tale impedimentum tollendum Confessarius dicit, Absoluo te imprimis à vinculo excommunicationis, in quantum possim & indiges, intendit absolueri non tantum ab excommunicatione non referuata, sed etiam à referuata, si ipse possit & penitens indigeat. Quod verò ille ait, tollere quidem excommunicationem, non tamen illius reservationem, reijcitur: quia reservatio solutionis vinculi, nulla est vinculo ipso sufficienter soluto ab habente plenam potestatem: & in casu proposito soluitur vinculum excommunicationis ab habente, vt supponimus plenam ad id iurisdictionem. Quod si hoc dicitur de reservatione cum excommunicatione, multo magis dici potest de reservatione sine excommunicatione, quæ minor est.

Valerij Tom. 1. Pars II.

Quod adhuc ille vrget talem modum tollendi reservationem esse contra huius finem: quia nec peccatum tunc cognoscitur à Superiore, nec pro eo satisfactio imponitur, nec medicina adhibetur quæ præcipuè intenduntur per reservationem. Reijci pariter potest, quoniam eadem ratione probaretur, nec tolli reservationem peccati oblitum, quando fit confessio & datur abolutio legitimè. Nam nec tunc à Superiore tale peccatum cognoscitur, nec pro eo imponitur satisfactio, aut adhibetur medicina.

Quintum documentum est; probabile esse, id quod antea dictum est de peccatis referuatis in confessione expressis, dici posse de oblitis: nimirum libera manere à reservatione in eo qui bona fide confitens absolutus est Sacramentaliter virtute Iubilai à Summo Pontifice concessi, cum facultate absolueudi ab omnibus casibus referuatis: quantumuis postea mutata voluntate, absolutus negligat cetera facere quæ requiruntur ad lucranda indulgentiam quæ conceditur. Hoc tractans Suarez in sequent. num. 23. & 24. ipsum fundat in eo, quod supposito tali privilegio à Papa concessio ad obtinendam relaxationem reservationis per Sacramentalem abolutionem, satisfiat eiusdem voluntati quidquid postea sequatur: dum modo præcesserit confessio, qualem absolutio ipsa requirit vt valida sit. Nam si nulla sit, non modo obliuorum, sed nec expressorum in confessione, reservatio tollitur: quia non erit satisfactum voluntati Superioris ad id exigentis confessionem, & abolutionem, non aliam quam validam, vt nemo negauerit.

Postremum documentum est, quod postremo tractat Suarez consequenter à numer. 25. vsque ad finem sectionis: quando fuerunt plures eiusdem peccati reservationes, omnes tolli, cum directè per abolutionem Sacramentalem peccatum ipsum remittitur: sic enim remissum, non est amplius materia necessaria confessionis: vnde fit vt pro eo non sit ad Superiorem denuo recurrendum. Cum verò indirectè tantum remittitur, vt lolet peccatum oblitum: si diuersæ sint illius reservationes ab eadem potestate præfectæ: vt cum vnus Episcopus per suum statutum referuat aliquod peccatum, & successor eiusdem facit per aliud statutum: quia tales in re, sunt potius vna reservatio repetita: quam plures, manantque ab eadem potestate, simul tolluntur dum præditus eiusmodi potestare absoluit. Si verò sint à diuersis potestatibus subornatis; vt quando Papa referuat peccatum iam referuatum Episcopo: & potestas ad absolueudum habeatur tantum ab Episcopo, ea non est sufficiens: Papali reservatione maiorem potestatem requirente. Sin habeatur à Papa potestas ad absolueudum à casibus sibi referuatis, sufficiens est ad tollendam cum papali episcopalem reservationem iuxta illud quod in præcedent. numero 55. ostensum est; habentem à Summo Pontifice licentiam absolueudi ab omnibus casibus sibi referuatis, habere simul absolueudi à casibus referuatis Episcopo.

Adde his: quando reservatio est cum excommunicatione, vt ea tollatur, tollendam esse excommunicationem: quæ si non sit vna, sed plures; ad tollendam reservationem opus est potestate absolueudi ab omnibus, quia vna perseverante, perseverat reservatio impediens Sacramentalem abolutionem: cum inter excommunicationes non sit ea connexio, quæ inter peccata mortalia, vt ad vnus relaxationem, sequatur aliarum relaxatio.

L A V S D E O.

## LIBER QVINTVS, ET TOTIVS OPERIS NONVS, DE ABSOLVTIONE AB EXCOMMUNICATIONE, ABSOLVTIONE Sacramentali præmittenda.

P R A E F A T I O.

**A**nte tradita explanationi abolutionis Sacramentalis à peccatis, adiungenda esse explanationem absolut. ab ex-